







Complet

MENJOT (Antoine)

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Libris D.^ris Raijmundi Barba

Menjot. Autr.

FEBRIVM MALIGNARVM

HISTORIA ET CVRATIO.

ACCESSERVNT DISSERTATIONES PATHOLOGICÆ.

De Rheumatismo.
De bombis aurium.
De Catalepsi.
De Incubo.
De spuria conuulsione & spasmo Cynico.
De Delirio in genere.
De Paraphrosyne.
De furore vterino.



PARISIIS,
Apud GASPARVM METVRAS, viâ Iacobæâ, sub signo SS. Trinitatis, propè Maturinenses.

M. DC. LX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Attextas Dissertationes integra subsequetur Historia Pathologica, si viris eruditis δεῖγμα arriserit.



FEBRIVM MALIGNARVM HISTORIA ET CVRATIO.

IN morbis quatuor ſpectanda veniunt, eſſentia, magnitudo, motus & mos. A morborum eſſentiâ petuntur eorum differentiæ, cùm genericę, tùm ſpecificæ. Magnitudo grauitatem leuitatemve morbi includit. Ratione motus dirimuntur morbi in acutos qui laxis habenis ad terminum properantes, aut citam mortem, aut lætam victoriam afferunt; & chroni-

cos qui testudineo passu suum emetiuntur stadium; instar indicis horologici cuius motus percipitur, non dum fit, sed dum factus est. Morbi demùm à more diuiduntur in εὐήθεις benignos, bene moratos; & κακοήθεις malignos, male moratos, quanquàm apud plerosque Veterum, referente Galeno, τὸ εὐηθέστερον idem sonet quod κακοηθέστερον antiphrasticâ scilicet vel ironicâ appellatione; quomodo grauissima quædam febris species nominatur ἠπίαλος; ac authore Plinio, herba nihil habens in se non mollissimum ὁλόστεος dicitur, & γλυκέα fella vocantur Græcis, & ὀρθόπνοια difficillima respiratio, nomine per sensum contrarium imposito, si Aureliano credatur.

3. prorrhet. 6.

lib. 27. cap. 10.

l. 3. tard. pass. c. 1.

Vocabulum autem κακοήθης à rebus moralibus ad medicas transla-

titium eſt: nam quemadmodum dantur homines ingenij peruerſi, & ab humanis moribus degeneres, ſic morbi incidunt nequiſſimæ ac perditæ indolis, & qui inſolitis ſymptomatis à cæterorum eiuſdem ſpeciei affectuum conditione alieniſſimi ſunt: verbi causâ, febris ardens non dicetur maligna, quæ calore devrente, ſiti præſigni, linguę aſperitate, corporis dyſphoriâ, iugibus vigiliis, reliquorumque aſſuetorum ſymptomatum examine ſtipabitur; ſed ſi inuſitata accidentia circumſteterint, vt horrores inordinati, cωmata, lypothymiæ, pulſus intermittens, virium proſtratio παραλόγως, aliaque ſigna ἐπιγενῆ inferiùs declaranda, cauſum iam non ſimplicem & ordinarium; ſed malignum & inſolentem vrgere indicium eſt.

cap. 7. Author igitur definitionum Medicarum quæ Galeni operibus inſeruntur, nouem ex Hippocrate recenſens morborum ideas, morbum malignum ab acuto, à periculoſo, atque etiam ab exitiali aptiſſimè ſeiunxit. Nam ſuffocanti catarrho, apoplexiæ, tetano, aliiſque innumeris paſſionibus magnis, acutis, diſcrimine plenis malignitas ignota eſt, nempe vera & propriè dicta; Τὸ κακόηθες enim apud Hippocratem latiſſimè interdum funditur, nihilque aliud eſt quàm prorsùs exitiabile, aut ſaltem ærumnoſum.

Non videtur Galenus maligni morbi naturam ſat rite explanaſſe: Nam lib. 3. de criſibus, ſpeciem, magnitudinem, motum & morem morbi ſigillatim quidem conſiderat, ſed malignum cum periculoſo ibidem confundit; Sic lib. 4. Meth.

docet febres in biliosis corporibus inediâ malignas reddi, id est acriores & vehementiores, vbi febris morem sumit pro eius magnitudine. Alibi malignos morbos vocat qui periculum vitæ minantes, spem tamen salutis non abscindunt; quasi verò maligni morbi promiscuè haberi debeant cum ἀμφιβόλοις per quos ambigentibus signis salutis & mortis, Medici ἡμισέλπιδοι hęrent inter dubiam spem & certum metum; cùm nec omnes morbi ancipites sint maligni, vt pleuritis, peripneumonia; nec omnes maligni sint ancipites, vt elephantiasis, syphilis. Galenus denique morbos malignos nonnunquam appellat qui pręsidiis decenter administratis morem non gerunt, quo sensu rebellantia vlcera nuncupantur maligna lib. 4. Method. At contra,

tophaceam podagram nemo malignam dixerit, etsi nulla audiat remedia, & hydrops curationi cedens, iterumque rediuiuus apud
in Coacis. Hippocratem deploratus est, nequidem suspectus malignitatis; sicut ex aduerso, nonnulli è malignis morbis sortem habent medicabilem.

Plerique morbum benignum exponunt qui palàm, malignum qui furtim grassatur; seu cum Gale-
cap. 7. no in definitionibus putatitiis, qui potestate magnus grauisque est, φαντασίᾳ autem, hoc est in specie, imbecillus, nec certa habens iudicationis tempora. Idque probant exemplo febrium quę personatę prodeunt, & ementitâ probitate fucatæ, paulò post verò velut detractâ laruâ, immanitatem suam inexpectatis symptomatis patefa-

ciunt. Sed malignum morbum ſæpe quidem, at non ſemper atque neceſſariò dolosè ſe gerere experientia comprobat: Nam vt ſilentio prætereamus maleficos morbos aſpidis, exempli gratiâ, ac viperæ morſu illatos ſtatim, & aperte furere, permultas febres male moratas quotidie obſeruare eſt, non molliter ac inſidioſe ſurgentes; ſed præmature terrifica depromentes ſymptomata, moxque ab ipsâ, vt ſic dixerim, infantiâ νεανικῶς infeſtantes, præter ordinem cæterorum morborum quorum initia, inquit Hippocrates, remiſſiora ſunt. 2. Aph. 30.

Meliùs igitur morbi maligni à priori definiuntur, qui à venenatâ qualitate ſuam ſortiuntur originem; vnde etiam θηριώδεες indigitãtur, metaphorâ à feris deſumptâ,

non ſimplici ſed virulento vulnere lædentibus. Nam authore Aretæo: *Infinita eorum quæ homini inſunt, eamdem habent ſpeciem cum cauſis exterioribus: corrumpentes ſucci vt extra ſic intra corpus reperiuntur, nec deſunt morbi pharmacis deleteriis aſſimiles, quandoquidem per febres talia ſæpenumerò vomuntur, qualia aſſumptis venenis reijci ſolent: quocircà haud immeritò à quibuſdam exiſtimatum eſt in peſtilentiâ Athenienſi impura medicamina in Piræi puteos à Peloponnenſibus fuiſſe coniecta: homines enim peſtilentis morbi cum lethalibus medicamentis ſimilitudinem non callebant.* Hæc Aretæus. Sic anno Vrbis conditæ 420. à matronis Romanis venenorum coctione peſtis Romæ fertur concitata.

1. de cauſ. & ſign. acut. 7.

Ideóque falluntur qui eminentiſſimum cuiuſvis qualitatis gra-

dum veneni nomine donantes, malignum morbum vocitant ab eximiâ ac extremâ putredine prognatum; hinc enim ſequeretur febres flagrantiſſimas ſemper fore maligniſſimas, atque adeò elementa ipſa eſſe venenata, quia ſupremis armata qualitatibus; ac proinde plauſibilius multò ex effectis venenorum truculentiæ reſpondentibus licet coniicere venenum actu ſubeſſe, inexplicabili totius ſubſtantiæ diſſidio καρδιόβολον: ipſimet qualitatum occultarum improbatores, qui tanquàm ex abyſſis naturæ nuper reuerſi nihil ignorare videri volunt, dum putredines deprehendunt fœdiſſimas cordique proximas, non malignis; ſed lentis dumtaxat febribus conſociatas, vt puris pulmonumque graueolentiam in Empyemate inueterato ac

phthiſi conſummatâ; iſti, inquam, Lyncæi Philoſophi fateri tamen adiguntur incompertum eſſe & gradum & modum deterrimæ illius putredinis quæ malignarum febrium, vt mordicùs ac prefractè tuentur, vna genitrix eſt.

Concludamus ergo febres malignas quà febres à putredine, quà malignas à veneno pendêre: Mera etenim putredo, vtut excellens fingatur atque ſordida, febrem ſimpliciter putridam ac intrà primarum qualitatum cancellos limitatam parit, quamquàm inſignem, nec rarò exitioſam. Venenum quoque ſi efficax fuerit, abſente putredine, iugulabit quidem, verùm abſque febre vt in hydrophobiâ ac peſte ἀπυρέτῳ, de qua ſi fides derogetur oculatis Medicis inter recentiores celeberrimis Hippocrates

30. Epid. & Galenus 9. ſimpl. aduo- l. 3. p. 25. & 55. cap. 7.
candi ſunt. Prout autem in febribus malignis putredo qualitati venenoſę, qualitaſve venenoſa putredini antecellit, ità ſymptomata exurgunt, aut propriè febrium eſſentię accommodata, etſi ſeueriora vel clementiora pro intenſione vel remiſſione putredinis; aut velut in πεφαρμαγμένοις enormia penitùs atque monſtroſa, quorum ratione febres malignę rectè à poſteriori definiri poſſunt, quas ſeueriora quàm pro earum conſuetudine comitantur accidentia: indéque fit vt ad illarum therapiam non modo alterantibus opus ſit ac vacuantibus, vt in mere putridis; ſed & cardiaca vſurpentur ad cordis tutelam, & alexiteria, quę abditâ antipathiâ venenatam qualitatem conterant.

Cum itaque ad ὕπαρξιν febrium malignarum, venenum vnà cum putredine concurrat: quęret forte quiſpiam, vtrùm venenum ſit parens proleſve putredinis? Reſpondemus primò venenum quandoque progigni corruptis ſolummodo, non putrefactis humoribus: Nam generatio vnius eſt quidem ſemper corruptio; ſed non neceſſariò putrefactio alterius, ac corruptio latiùs patet quàm putredo; Eleméta ſiquidem in μεταστοιχειώσει, (ſaltem ſi detur talis, vt loquuntur, tranſelementatio) corrumpuntur, non putrent quia homogenea: viuentia intereunt ſine putredine, nec mixta omnia inanimata in ſui diſſolutione putreſcere neceſſe eſt; ſic alimenta in chylωſi, chylus in hęmatωſi, ſanguis in homęoſi, necnon in ſeminis lactiſque elabora-

tione destruuntur, & tamen putredinem propriè dictam minimè subeunt. Huc pertinet quorumdam animalium metamorphωsis, & plantarum seminumque ἔκστασις, vt dum Eruca in Chrysallidem seu Aureliam, hęcque in papilionem transmutatur, ocymum in serpillum conuertitur, & triticum in lolium degenerat: item corporum ἀπολίθωσις ac in salem transformatio. Nonnulli pariter apud Galenum verè quidem dixerunt acetum esse vinum mortuum; sed falsò sunt arbitrati vinum transfigurari in acetum intermediâ putredine; vinum enim putrescēdo non acescit, sed abit in vappam; quod si, vt vulgò creditur, acetum nihil aliud est quàm vinum putrefactum, cur diutiùs asseruatur quàm vinum ipsum? Cur putredinem abigit? Cur

1. simpl. 19.

defectam animam reficit? Preterea
5. de histor. anim. 19. testis est Aristoteles, in niue vetustiore quamuis nesciâ putredinis, vermes gigni, & quidem pilis hirtos ac rubidos iuxta niuis colorem vetustate rubescentis. Igitur vbi mixtum alteri mixto succedit, pristinum mixtum haud necessariè computrescit, sat est si corrumpatur; hoc est desinat esse id quod erat ob nouam mixtionem, & nouę formę aduentum, cui pręcedens forma loco cedit; errantque qui mixti διάκρισιν non aliter perfici posse censent quàm mediante pu-
4. meteor. 1. tredine, quę Aristoteli: *Corruptio est domestici & naturalis caloris in vnoquoque humido ab extrariâ ambientis caliditate.* Nam plurimis aliis modis mixti compagem dissui demonstrant pręter allata exempla, res destillatę quarum fit in sua principia

principia analysis,remotâ omni putredine; necnon cadauera aromatis condita, aut in Tolosano Franciscanorum cœmeterio inhumata, aut Arabiæ arenis suffocata quæ μάραγσιν non putredinem patiuntur. Addamus res crematas absque putredine in eleméta resolui, hæcq; calore diuulsa iteratò, quandoque condunari ad nouorum mixtorum etiam viuentium compositionem, saltem si verum sit, vt Aristoteles Pliniusque tradiderunt, pyraustas in Cypri æratiis fornacibus nasci medio igne. Ex allatis ergo inferamus quemadmodum in animalibus, vegetabilibus & mineralibus, sic in homine eamdem aut similem dispositionem adepto, venenum gigni posse, nullâ interueniente putredine, itavt tamen venenum istud humores deinde putrefaciat,

5. de hist. anim. 19. l. 11. c. 36.

ſi modò febris naſcitura eſt, ſicuti externa reperiuntur venena quæ ſeptica ſunt, licet imputria.

Secundò ad quæſitum dicimus nonnunquàm contrarium contingere, videlicet putredinem cauſam eſſe, non effectum veneni, quomodò hyſtericarum genitura putreſcendo peſtifera redditur, & febres per initia benignæ, adaucta putredine, venenatæ qualitatis procreatrice vertuntur in malignas: Nam, exempli gratiâ, vix ac ne vix quidem euenit vt ea ſanguinis putredo veneni ſit expers quæ fibras eius ſicciſſimas attingit, ob quarum putrilaginem ſanguis vaſculis admiſſus vt ceruorum damarumque cruor non coagulatur, vel quæ ipſius ſero non parcit per ſe ſalſo, ac idcirco δυσσήπτῳ; præſertim cum ſanguis extrà venas grumeſcens ve-

neni vim acquirat, cordis deliquio, ἀσφυξία, totiusque refrigeratione conspicuam, ac Taurinus sanguis venenorum decuriæ adscribatur, eóque epoto Themistocles olim vitâ cesserit.

Tertiò arbitramur & venenum & putredinem seorsim & à causis disiunctis interdum produci, alioquin inter vtrumque, velut inter causam & effectum, constans adesset proportio, cum tamen in febribus malignis venenum sæpe vegetissimum sit, ac putredo leuior, & contrà putredo ingens ac venenum exiguum. Sed ista forsan videbuntur ἐξαγώνια, immoremur pathologicis quæ ad nostram Spartam.

Quemadmodum vulnera venenata non aliter quàm simplicia vulnera, nempe vel incidendo, vel

pungendo &c. infliguntur: At venenoſitatem habent annexam quaſi pro ſuperpondio; ſic τὸ κακοηθὲς non componit ſpecialem febris differentiam; ſed eſt accidens atque proprietas febribus ſuperaddita, nec vlli earum generi addicta, ita vt pro febrium malignarum diuerſitate varient ſymptωmata ſingulis ipſarum ſpeciebus propria, puta aut bilioſæ aut ſanguineæ ſigna eluceant; nam hæ duæ potiſſimùm febres malignitatem ſolent induere.

Verum ex parte veneni quo instructa eſt putredo, multò maior iterum animaduertitur, etiam in ſimili febris ſpecie, ſymptomatum diſparitas: iſtud enim non ſemper vnum idemque eſt; ſed nunc arſenicale, nunc viperinum, nunc napellinum aut potiùs analogum, nunc ex pluribus mixtum, nunc

nouellum & inauditum, vnde nil mirum ſi febres malignæ ſint πολύμορφοι ac multiplici facie ſeſe offerant. Non inficiamur quidem in febribus eiuſdem ſpeciei, etſi malignitate deſtitutis, abſimilia etiam cooriri ſymptomata, iuxtà aliam atque aliam patientium corporum διάθεσιν, cum infinitæ ſint indiuiduorum circumſtantiæ, ac, vt ait Hippocrates: *Corpus à corpore, natura à naturâ, & alimentum ab alimento differat*: item in vno eodemque febricitante in horas fieri ſymptomatum μετάπτωσιν, prout materia orgaſmo percita hanc illamve partem petit; aut provt in dubio naturæ & morbi conflictu, modò ad illius, modò ad huius partes nutat victoria: vnde ſigna mox ad ſalutem vel ad melius, mox ad mortem vel ad deterius inconſtanter

lib. de flat.

apparent. Verum iſta ſymptomata non ſuperant captum febrium à quibus pullulant; hícque agitur de febribus malignis ſub eâdem differentiâ poſitis, quæ diſtinctis temporibus debacchantes, ſigna characteriſtica ſuæ peruerſitatis vix vnquàm ſimilia exhibent propter diſcrepantiam veneni malignitatem conſtituentis, vt illi manifeſtum fiet qui omnes malignarum ac peſtilentium febrium hiſtorias ab Antiquis ac Neotericis conſcriptas inuicem comparabit.

Ne mireris porrò nouum quandoque in humano ſinu venenum procreari; etſi enim ſpecierum perfectarum, & à Deo creatarum numerus completus ſit, nec poſſit naturaliter adaugeri; imperfectas tamen atque deuias, vt monſtra, nouiter fieri, ac vt in moribus, ſic in

naturæ imperio inexcogitata patrari κακουργήματος non repugnat. Quemadmodũ rhythmi atque harmoniæ certâ constant ratione; sed innumerabilia sunt vocis & fidium errata; Ita res naturales ordinatæ sunt atque definitæ, præternaturales finem, terminumque nesciunt. Igitur non omnes morbi procurrerunt tanquàm è carceribus simul emissi; sed alternatim ac interiecto temporis spatio, impetum fecerunt in homines, dumque alij exolescũt, alij nouantur. *Non oportet*, inquit alicubi Auicenna, *vt negentur ægritudines quas non contigit videre in temporе quodam & regione quadam; Nam est quoque ægritudinum Epidemialium ortus & occasus, & omnium rerum vicissitudo, non tantùm in morbis humani generis, sed etiam brutorum.* Pro stabilienda hac veritate non

commemorabimus morbos ab vnâ terrarum plagâ ad alteram comportatos vt Elephantiaſin Pompej Magni æuo ex Ægypto apud Romanos aduectam: Mentagram quam Peruſinus Eques Romanus Tiberio dominante ex Aſia Romam adduxit: aut Veneream Luem quæ ex orbe Americano auorum memoriâ tranauit in Europam; ſed in medium proferendæ ſunt affectiones ſerò genitæ quas nulla gens, nulla ætas antea nouerat. Harum plurima exempla celebrauit Plutarchus in ſympoſiacis, ac imprimis refert ex Agatharchide circà rubrum mare exiguos quoſdam angues ægrorum ſuras & brachia exertis capitibus perediſſe, qui tacti rurſùm in carnem regrediebantur, quod morbi genus neque priùs neque poſteriùs contigiſſe vllus

lib. 8. probl. 9.

comperit; ſic non ita pridem horridus capillitij morbus Plica dictus Poloniam primùm vexauit; paucisque abhinc annis Anglicanos pueros male habet Rachitis; & quod ad noſtrum hoc inſtitutum attinet, ἀνιστόρητος erat Ephemera illa peſtilens quæ regnum Angliæ anno 1486. cœpit peruagari, & à ſudoribus vbertim & aſſidue proruptis ſudor Anglicus appellabatur; imò famoſam Athenienſium peſtem nuſquàm antehac ſpectatam author eſt Thucydides. lib. 2.

At dicet aliquis: Annon venena per ſe ſunt corpora naturalia quanquàm homini bellum indixerint? Annon eorum nequitiæ virtus ineſt ad magnos vſus? Annon cicurantur, ſolertique artificio euadunt in alexipharmaca? Annon denique multa vni animalium generi no-

xiosissima, alteri sunt amica, ceduntque in alimoniam?

Lucret. l. 4.

Tanta in his rebus distantia differitasque sit
Vt quod aliis cibus est, aliis fuat acre venenum.

Quare ergo habentur inter naturæ παραπτώματα? Respondemus rem non esse de venenis externis quæ mixta sunt verè physica; At de internis, & quę in hominum conduntur visceribus; ea enim nec medicinalia sunt vnquàm, nec cibalia, verùm perpetuò φθαρτικά, ac idcirco generantur ἐξ ἀνάγκης, propter necessitatem materiæ, non ἕνεκά τινος atque ex naturæ consilio, cum finis & bonum reciprocentur. Sed è diuerticulo ad viam.

Modò dicebamus τὴν κακοήθειαν per omnium febrium differentias vagari; febrium, inquam, sæpę

ſæpiùs continuarum; ſed quandoq; etiam (etſi aliter viſum ſit Galeno) intermittentium quæ extra vaſa nidulantur. Nam Hippocrates in conſtitutione peſtilenti quam lib. 3. Epid. deſcribit, febres memorat & tertianas, & quartanas, & quotidianas quas nocturnas vocat, quod noctu inuadant; ac ne quis autumet febres iſtas fuiſſe continuas, mox continuarum meminit Hippocrates, vt à notatis intermittentibus diſtingueret. Auctoritati aſtipulatur experientia quâ conſtat interuallatas febres præſertimque tertianas & magis adhuc erraticas malignitatis characteriſmo ſignatas in praxi non ita infrequenter obuias fieri. Ratio idem ſuadet; neque enim tanta ſemper eſt veneni ἐνεργεία, vt è fomite extra venas locato aſſidue cor laceſſat; ſed ſuæ

4 Aph. 43.

ſect. 3.

quoque & agendi & otiandi tempestates, permultis venenis fuerunt concessæ : sic materia venenata in manuum pedumque extremitatibus cumulata, non continuam, sed circuitibus discriminatam suscitat Epilepsiam. Deinde cum venenum in febribus malignis non sit sincerum ; sed humori putrido commixtum, & quandoque opus habeat externo motore, quo vis eius consopita expergefiat, quis dubitabit ad materiæ febrilis putredine ebullientis motum, venenum exacerbari, & pari pacto ad eiusdem quietem, illud consilescere? Sciendum autem febres malignas, etsi dilucida habeant ἀπυρεξίας interstitia, intra septimam tamen periodũ propter paroxysmorum sæuitiem, vitæ filum sæpenumerò præcidere, ac ideò esse exci-

piendas à generali Hippocratis placito, febres periculo vacare, quâcumque ratione intermiſerint. 4. Aph. 43.

Poſt enucleatam cauſam malignæ febris coniunctam, cauſas quoque remotiores ſcrutemur & internas & externas.

Internæ ſunt calidior, humidiorque corporis temperies: viſcerum infarctus, humores enim intercluſo eundi redeundique commercio, inſtar aquæ deſidis cunctatione, vitium capiunt: Malè peruia ſecretorum effluuiorum ſpiramenta, ſi nempè ἀπὸ τῶν ἐνεόντων febris ſuccendatur: nam corpora denſioris texturæ ſunt δυσπαθῆ à cauſis externis, εὐπαθῆ verò ab internis, rarioris è diuerſo; ſed quoniam duæ potiſſimùm febres malignitate veſtiri aſſueuerunt, cauſωdes & ſynochus,

hinc fit vt inter cauſas internas primatem locum obtineant impuritas cholerica, & plethora, tam ad vaſa quàm ad vires; in priore enim plethorâ ſpatij defectu motus ſanguinis ſiſtitur, vnde eius corruptelá: in poſteriore verò cum vniuerſus ſanguis à natura gubernari nequeat, pars derelicta computreſcit: Nam ſanguis calidus & humidus ſtatim putret, ni multis perfundatur ſpiritibus, qui ignei ſunt ideóque putredinis ἀλεξητῆρες; ſi igitur ſpiritus pauciores ſint quàm vt redundantem ſanguinis maſſam animent, huius portionem ſpiritibus non illuſtratam breui putreſcere extra dubium eſt.

Cauſæ procatarcticæ numerantur triplices, aër, alimenta, contagium. Vt à contage incipiamus, febres malignæ crebrius contactu,

ſed nonnunquàm quoque fomite, ac interdum etiam ad diſtans ſparſo volatili ſpermate; peſtis inſtar volgantur, procliuiorque eſt inter conſanguineos contagio, ob corporum ſimilitudinem per quam patiens agenti parum reſiſtit.

Improbi cibi ſunt quaſi illices eiuſmodi febrium, vt panis è milio, panico, zeâ, ſimilibuſque frumentaceis confectus, atque etiam è tritico cœleſte malum paſſo, rubiginem, nempe aut carbunculationem: Carnes morticinæ, crudiores, recenter mactatæ, aut vetuſtate ac ſitu marcidæ; quamobrem in caſtris ac per annonæ caritatem febres ſerpunt mali moris: fructus omnes corruptelæ obnoxij vt horarij, potiſſimum ſi immaturi fuerint: aquæ lacuſtris, ſtatariæ ac putidæ potus; imò ab aqua quàm à

1. probl. 14. cibis magis ægrotamus ex Ariſtotele, quod non modò in potu; ſed & in cibis atque obſoniis ea vtamur.

Sed quia affectus communiſſimus cauſam poſtulat communiſſimam, aër profectò cuius vſurâ nemo carere poteſt, & qui rectà ac ſubitò ad cordis ſinus inſpiratu permeat, necnon quoque à priuatis partibus indeſinenter perſpirando allicitur, ius poſſidet ſingulare in febres malignas, eaſque quatuor modis promouet.

Primo propter intemperaturam, dum ventorum Meridionalium quorum feralis eſt hoſtilitas, tenetur dominatu. Peſtilens ſiquidem aëris ſtatus, quem deſcribit Hippocrates lib. 3. Epidem. erat *Auſtrinus, pluuioſus, obſcurus, mollis, ſilens à ventis, paucique Eteſiæ diſiunctim ſpirauêre.* sect. 3.

rauêre. Et quandoquidem Auſtralis tempeſtas duplex eſt, vna quæ paucas vel nullas demittit pluuias, altera quæ largo imbre depluit; illa eſt magis πνιγώδης, hæc minorem noxam nocet, quod & aëris & terrarum, aquarumque paluſtrium inquinamenta à pluuiis compeſcantur atque abſtergantur. Notandum autem quamuis ex decreto Hippocratis: *Siccitates in vniuerſum imbribus ſalubriores ſint, minuſque mortiferæ*, cœlum tamen ſumme ſudum febrium male moratarum fœcundum eſſe. Narrat Liuius Romæ peſtem olim obortam: *Quod eo anno ſiccitate plurimùm laboratum fuerit, neque cæleſtes modò aquæ parce deſcenderint; ſed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes amnes ſuffecerit.* Ratio eſt quod ſqualloribus nimiis humores &

3. aph. 15.

lib. 1. dec. 4.

valde incraſſati plurimas obſtru-ctiones ingenerent, & retorridi malignam prauitatem de facili concipiant, vt videre eſt in Elephantiaſi; item in Cancro cui duplex inſidet venenum, vnum putrefactiuum abominando fœtore plus ſatis ſeſe promens, alterum corroſiuum partium aſtantium populatione notiſſimum. Vt taceamus ab extremâ ariditate fruges vredine ac tabo affici, debitamque præpediri maturitatem,

3. Æneid.

-----tum ſteriles exurere Sirius agros,
Arebant terræ, & victum ſeges ægra negabat.

Secundò inimicatur aër, ſi diſpariles ſorbeat terrarum aſpirationes: Eſt enim aër quaſi vniuerſi area, per quam velut per cribrum aliorum corporum virtutes & vitia

transfunduntur.

Tertiò aër malignarum febrium ſator eſt atque propagator, non modò immoderantiâ qualitatum, aut alienæ materiæ miſcellâ, ſed etiam ſubſtantiæ ſuæ putrilagine. Omnia namque, excepto igne in putredinem delabuntur, ex doctrinâ Ariſtotelis; impurum autem & infimum quo circumuallamur aërem intellige, purus enim atque ſublimior, tutus eſt à putrefactione, cùm hęc mixtioni contrarietur, nec idcirco ſit elementorum, ſed mixtorum ſeu perfectorum, ſeu imperfectorum; quâ diſtinctione ab ἐναντιολογία vindicabitur Philoſophus in problematis, aërem igni ſocians tanquam putredinis exortem. Ad aëris autem vt & aquæ putredinem immobilitas plurimùm conducit, vbi aër nec ap- 4. met.

pulsu alterius renouatur, nec ventis scopariis euerritur, vel etiam dum tactu radiorum solarium ceu ignis cuiusdam expurgatorij non mundatur; vnde laconica & domicilia subterranea grauia sunt atque insalubria, & Thucydides inter Atheniensis pestilentiæ causas iure recensuit, quòd plebs habitationum defectu in tuguriis suffocantibus nec perflatis æstiuo tempore degeret.

Demùm aër haud solum imbuitur manifestâ labe, at cæcâ etiam ratione venenatur, tuncque febris reuerà pestilens potiùs exoritur quàm simplex maligna: Non censemus autem integrum aërem; sed nonnullas duntaxat huius particulas sparsim veneno pollui, alioquin vix vllus malum effugeret.

Itaque planum est aërem non

tantùm vt medium & quaſi proxenetam quatenus ſcilicet, vel contagioſa laborantium μιάσματα, vel tetros vndecumque halitus gremio ſuo excipit, ad febrium malignarum generationem conferre; verùm etiam vt cauſam, quatenus ipſemet vel intemperatus, vel putridus, vel venenoſus efficitur. Liquet præterea hunc aut ſuâ dyſcraciâ deleteriam qualitatem creare in humoribus diſpoſitis, aut malignitatem nobis communicare quam in ſe complectitur, aut deliteſcentia in corporibus noſtris venenata ſemina in actum deducere.

De eiuſmodi δυσκρασία loquitur Hippocrates, morbis quibuſdam videlicet Epidemicis ineſſe ſcribens τὸ θεῖον, fidiſſimuſque eius ininterpres Galenus, τοῦ περιέχοντος initio progn;

ἀέρος καταστάσιν apposite interpretatur, quam alio loco Hippocrates ὅλην ἀγωγὴν dixerat: superstitiosam enim Gentilitatem non puduit ἀποθέωσις elementorum, Deosque Genios nominabat quod ex iis gignantur omnia. Hippocrates ipse, quæcumque aliàs sit eius ἀδεισιδαιμονία, Terram numerat inter θεοὺς ἀποτροπαίους, Numina Auerrunca; sed præ cæteris elementis Aër, fortassis propter inuisibilitatem & πολυτροπίαν cæterasque mirandas dotes, diuinitatis particeps credebatur, ac Diogenes Apolloniates Deum vocare solitus erat; imò plerique Iouem appellauere, ob fulgurationes & fulminationes, sic Galenus ἐκ Διὸς ὧραι, inquit, tempestates ex aëre, & Διὸς ὕδατα Theophrasto sunt aquæ cœlestes, seu pluuiæ, & εὐδία Græcis serenitatem

l. 1. Epid. in princip.

l. de insomn.

1. de caus. sympt. 7.

2. de caus. plan. 8.

ſignificat; ita apud Horatium *Sub Ioue frigido* pro ſub aëre; & Lucretius *dias in luminis oras*, id eſt aerias; & iterum, *ſub diuo ſplendor aquai ponitur*, hoc eſt, ſub aere. Ode. 1. l. 1. & 4.

Nec eſt quod hîc omittamus, ſi maligna febris communi aeris iniuriæ ſuam originem debeat, nobiles magis percelli, vtpote humidiores, delicatiores, & lacteâ teneritudine præditos: ſi victus errori, agreſtes ac plebeios crebrius impeti. Adde quod horum ædes à pluribus incolantur, anguſtiores ſint ac immundæ, ita vt velociſſima detur contages, obſcænuſque aer & quaſi mucidus inibi ſpiretur, quanquàm vniuerſi aeris regio inſalubris non ſit.

Præter contagium, alimenta & aerem; ſunt qui inſimulent funeſtas cœlorum influentias, ob certos

Aſtrorum χηματισμοὺς καὶ συνα-θροισμοὺς, configurationes & conuentus. Sed Næniaſ iſtas Achilleis argumentis doctiſſimi Philoſophi pridem confutarunt, quibus Aſtrologorum σκληροτραχήλων vulgus conuictum, lite tamen non cedit. At demus ſydera eſſe ἴσβολα, nil iſtud ad Medicos qui poſthabitis vniuerſaliſſimis, remotiſſimiſque cauſis quæ ſunt ἄτεχνοι, emendabiles dumtaxat diſpiciunt, apud quos proinde aeris mutatio meritò eſt pro omni Aſtrologiâ, præſertim cum ipſiſmet οὐρανολέσχοις aer dicatur Aſtrorum pararius.

Quæcumque porrò affuerint peregrinæ cauſę, ſciendum tamen earum vim elangueſcere, nihil adminiculantibus inquilinis cauſis, ac deficiente παρασκευῇ, hoc eſt, vt loquitur Tertullianus paraturâ ſub-

iecti febrem ſuſcepturi. Quemadmodum, ait Plutarchus, florum odores ſuâpte naturâ euanidi admixto oleo quaſi ſufflamine retinentur; ſic exterioribus cauſis humorum in corpore redundantia veluti ſubſtantiam ſuppeditat, ſecùs facile diſſipantur, ſanguine puro & ad morbum ἀδιαθέτῳ motum earum excipiente. lib. de ſanit. tuend.

DIAGNOSIS.

TRanſeamus ab αἰτιολογίᾳ ad διάγνωσιν quæ reſpicit vel notas huic illíve febrium differentiæ proprias, vel ſigna ſociam malignitatem teſtantia: prioribus prætermiſſis, vtpote ad ſingularum febrium hiſtoriam attinentibus, poſteriora perſequamur, ac febrium malignarum, in quantùm malignæ

ſunt, lineamenta depingamus. Incredibile dictu quàm numeroſa ſymptomatum ſeges adoleſcat; ideóque præcipua, & magis familiaria præſtingere ſatis erit.

Speculari oportet, inquit in prognoſtico Hippocrates, φορὰς, hoc eſt inuaſiones, vel vt loquitur 6. Epid. τρόπους ſiue modos morborum popularium, necnon quoque temporis conſtitutionem. Si quis igitur febricitet, ac febres malis moribus moratæ, paſſim in populo iactentur, ſimul cum circumfuſi aeris morbidâ vi, coniectura ac opinio habetur de malignitate, quam ſequentia ſigna non iam topicâ probabilitate, ſed apodicticâ certitudine indicabunt.

3. prognoſt. 40.

ſ.3.p.33.

Προσώπου διαφθορὰ facies ſibi plane diſſimilis, cuius ſcilicet flos deformatur in colore, charactere

& mole, idque primis morbi diebus, ac ſine causâ euidente, putà nullâ prægreſsâ vacuatione ſeu manifeſtâ, ſeu occultâ per labores, mœrores, vigilias, dolores aut inediam: paſſionum enim vt animi, ſic & corporis veſtigia in facie propter raritatem atque laxitatem, primùm & maximè imprimuntur. Iſtaque vultus necnon etiam reliqui corporis alteratio ſubitanea & ἄνευ φανερῆς προφάσιος, oritur non modò fuſis febris ardore atque nequitiâ frugi ſuccis, ac vltimo membrorum alimento; ſed adipibus etiam, carnibus, ac partibus ipſis ſolidis liqueſcentibus; illoque liquamine vel inſenſibiliter per halitum diſperdito, vel ſenſibiliter effluente per ſudores, vrinas, aut deiectiones; febres namque malignæ ſæpiuſculè ſunt διαφορητικαὶ καὶ συντη-

κτικῶ: quod si forsan compactior corporis habitus fuerit quàm vt liquamenta per διαφόρησιν sudoremve emanare queant, vel si hęc crassiora fuerint, iis sub cute commorantibus pro collapsu cùm faciei, tùm cæterarum partium, fiunt, vt ait Galenus, ἐξαιφνίδιοι ὑδερώδεις καταστάσεις repentinæ intumescentiæ hydropicum in modum, eóque sensu Hippocrates 1. Epid. ex mala colliquatione dixit natos esse hydropas.

8. de plac. 6.

p. 35. & 36. s. 2.

Ἀδυναμίαι παρὰ λόγον κενεαγγικὸν virium iactura mox à primo morbi insultu absque prȩuia inanitione, iis nempe non modò materiæ copiâ oppressis, sed malignitate morbi resolutis. Venenum enim persępe ita est præsentaneum, vt puncto ferme temporis virtutem nostram demoliatur, quam alioquin

1. prorrhet. 40.

nonnisi ægritudinis progressu atteri consentaneum est.

Νωθρὴ καταφορὰ propensio ad somnum cum segnitie totius corporis, aut propter narcoticam veneni qualitatem, aut etiam propter ἐξοχὴν putredinis à caliditate & humiditate plurimâ prognatæ; hinc enim eadem nascuntur in animali facultate incommoda quæ Hippocrates 5. Aphor. adscribit θερμάσμασι, seu fotui aquæ dulcis calidæ, nempe σαρκῶν ἐκθήλυνσις, νεύρων ἀκρατεία, γνώμης νάρκωσις, *carnium effœminatio, neruorum impotentia, & mentis torpor*: vel quæ Austro tribuit 3. Aphor. scilicet *auditum hebetare, caliginem inducere, caput grauare, pigros & languidos reddere.* Si enim à madoribus externis, quantò magis ab internis, cerebro cum suis propaginibus emollito, princi-

Aphor. 16.

Aph. 5.

patus animalis labeſcet?

Propter comitem hunc mentis ſtuporem delirium ſi exurgat, eſt plerumque ἀσαφώδεις, quod tamen ex leui manuum geſticulatione, excrementis citra cenſum profuſis, oculis fixis trucibus & cerebri ſympathiâ rubentibus ac flammigerantibus detegitur:

Lucret. l. 6.

Principio caput incenſum feruore gerebant,
Et duplices oculos ſuffuſâ luce rubentes.

Atque vt ſuperfluæ humiditates virtutem memoratiuam inter principes animæ potentias maximè debellant, ſic per febres malignas illa potiſſimùm occidit,

Lucret. ibid.

quoſdam cepêre obliuia rerum
Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere vt ipſi.

Ad cerebri ſymptomata pertinent

etiam conuulſiones, tremores; ac excruciantes capitis, potiſſimumque ſyncipitis & frontis dolores: quales æſtuantis cerebri verminationes febrem illam malignam & pethechialem conſectabantur, quę anno 1566. Hungariam primò vaſtauit, indeque per Europam diſſeminata eſt, & à natali ſolo Hungaricæ nomen ſibi adoptauit. Atque vt cerebrum valde grauatur per haſce febres, ſic aures ſunt magis conſortes eius offenſæ quàm reliqui ſenſus, ſæpéque vel obſurdeſcunt vel tinniunt: Auris enim ita vicina eſt cerebro & colligata, vt nihil propius eſſe poſſit; Nam in cerebrum cauitas eius deſinit, & à quinto pari neruos accipit, qui ſimul cum durâ membranâ in cauum auris explicantur.

Sed cor non minùs quàm cere-

brum malignitate febris vapulat; hinc anxij pressique cordis succussiones, quas παλμοὺς vocant: hinc lipopsychię, hinc dyspnœæ, hinc animæ insuauitates enascuntur.

Humores præterea ἰομιγεῖς ac veneficâ tincturâ imprægnati, iniquis vasorum etiam maiorum conceptaculis propter ζέσιν καὶ ζύμωσιν coerceri non sustinent; sed è secundâ corporis regione, quæ diuersorium est continuarum febrium, in primam & tertiam, vbi desinunt venarum oscula, vtrimque regurgitant, & velut extrà ripas diffluentes dira longè latéque mouent symptomata: putà in aluinis partibus, quæ eò promptiùs plectuntur quod instar stabuli Augiæ sordibus nunquàm careant, nauseam, vomitum, singultum, cardialgiam, ventris meteorismum, sitim inexplebilem,

ac

ac vice verſa omnimodam aliquando ſitis abſentiam, eamque cum linguæ ſiccitate, ſine tuſſi, ſine virtutis ſuperioris ἀβλεψία, ita vt irrorantis catarrhi, aut mentis ſeu deliræ ſeu ſepultę abſit ſuſpicio, ſed vel facultatis appetentis internecionem, vel humidi putredinalis abundantiam conſequatur; adiuuante interim humiditate aeris qui non modò perſpiratu ad ventriculum pertingit, ſed cuius etiam inſpirati tantilla portio ſubinde ad ipſum defertur; ſicuti pariter aliquid potus in ſpiritalem arteriam inter bibendum deerrat, hinc fluminum viciniâ & ventorum Auſtralium ſpiratu lenitur ſitis; & contrà qui hiante ore dormiunt, ſitim experiuntur, reſiccato aeris appulſu ventriculi oſtio. Porrò inter ventriculi ſymptomata notabilis eſt

esculentorum omnium βδελυγμός, & quidem tantus vt nullis dapum lenociniis edendi prolubium sit reuocabile, ac multi τὴν ἀποκαρτέρησιν mortem ex fame oppetitam cibatui prętulerint: Author est Galenus eos ferme omnes è peste incolumes factos, qui animi fortitudine vim sibi inferentes cibum assumpserunt; sed plurimos maluisse inediâ enecari quàm alimenta degustare.

p. 58. s. 3. l. 3. Epid.

Alui quoque excrementa obseruatu digna sunt: nam interdum cadauerosa bilis, interdum sanguine διοῤῥωδὴς illuuies serosa deturbatur, interdum amborum mixturâ excretiones fiunt ὑδατόχολαι; quandoque ab adipis, partiúmque ipsarum liquatione fœces egeruntur oleosę lęues & glutinosę, hęque nunc albæ à recenti pinguedine

liquata, nunc subflauæ & simul valde olidæ ab eadem pinguedine non modò liquefacta, sed etiam putrescente; sicuti rancidus adeps flauescit perditâ aëreâ quâ exalbescebat substantiâ, syntecticæ eiusmodi deiectiones semper exiguæ sunt, quod liquamentum paulatim fiat non aceruatim, hasque Hippocrates criminatus est. *Malum stercus*, inquit, *quod & exiguum est & viscidum, & album, & subpallidum & læue.* Aliquando etiam viuificatâ in vermes putredine, animantum copia exos & exanguis intestina perfluctuat, ac paulò post iidem veneno trucidati aluo vel ore pelluntur. Nam si verè scripsit Seneca animalia venenata non verminare, nisi postquàm fulmine fuere percussa, id illis quadrat quę à naturâ non à morbo talia sunt.

2. prognost. 21.

2. natur. quæst. 31.

In habitu verò corporis, dispertito vndiquaque per membranosas neruosasque particulas ferino vapore, crebri citantur rigores febribus continuis per se incongruentes, iique incerti ac erronei;
p. 25. s. 2. l. 1. Epid. sic Hippocrates in febre tritæophya obseruat rigores contigisse ἀτάκτως, πεπλανημένως, ἐλάχιστα, καὶ ἥκιστα, *incomposite, errabunde, parcissime & minime.* Dolores etiam toto corpore sæuiunt mobiles atque vagabundi; item artuum σπασμώδεσμοι, ac lassitudines spontaneæ, *ossibus*, vt ait Aristoteles *quasi collisis, compressis atque conquassatis.*
5. probl. 7.

Sudores nonnunquam liberaliter funduntur, sanguine vi febris serescente,

ossaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.

Nonnunquam ἐφιδρώσιες tantùm ſeu ſubſudationes rorulentę cutem madefaciunt ob naturę mouentis languorem, nihilque promouentis: ſudores quoque vel calidi ſunt, vel frigidi, omnium peſſimi ob caloris νέκρωσιν; vel vniuerſales, vel particulares, nempe capitis, colli, thoracis: aliquando tenaces, pingues, praue olentes, quia colliquatiui.

Quomodo etiam è prunis accenſis ſcintillę emicant, ac è candente ferro ſtricturę emittuntur, feruenſque è ſartagine oleum exilit; ſic per febres malignas puſtulis tanquàm ambuſtis gemmat vniuerſum corpus πεμφιγώδεες πυρετοὶ ἰδεῖν δεινοὶ *febres cum phlyctænis aſpectu graues.* ꝑ. 28. l. 6. Epid.
Vel vice exanthematum ob venulas tabo ac ſanie refertas quę circa cutem dehiſcentes ἐκχυμοῦνται, pur-

puraſcentibus maculis , violaceis, cęruleis , viridibus , liuidis aut nigris obſeritur cutis , vermiculatam pellis Babylonicę picturam repręſentans. Hæ febres vulgò purpuratę cognominantur : & quia peculiarem optant diſquiſitionem, ſatis erit impræſentiarum commonefacere , maculas iſtas , inſtante morte, interdum euaneſcere, quod calor natiuus iam iam defecturus ad ἑςίαν lareſque ſuos refugiat , ſimulque ſanguis exteriora deſerat; ſed ſtatim à morte eaſdem in cute denuò effloreſcere , imò aliquando nonniſi poſt obitum eiuſmodi maculis cutem variegari , & quidem non operâ virtutis expultricis , quam in cadaueribus , abſente animâ , vel momento ſupereſſe poſſibile non eſt ; ſed quod tenuiſſima iſtarum macularum materia quę

viuo homine liberè transpirabat, post interitum sub cute detineatur; vel potiùs quod in recenter defunctis ichores sanguinei qui nullâ vi retentrice ampliùs reguntur, vnâ cum euaporante partium intimacurum calore, intùs foràs moti sub cute densiore subsistant: qua similiter ratione sanguis aut sanies per os, nares vel aures interdum in mortuis effunditur: Calorem autem vitalem illicò à morte in corpore residuum non tam in visceribus exstingui, quàm euolare perspicuè declaratur exemplo eorum qui nondum è vitâ egressi ad tactum frigent, ob caliditatis reuocationem ad præcordia: At vitâ functi mox incipiunt calescere propter expansionem caloris.

Parotides insuper in febribus malignis non raro emergunt, ceu sto-

lones atque βλαστήματα malignitatis internæ, cerebro potiſſimùm inuſtæ: Neque enim eadem eſt ratio ac febrium chronicarum per quas τὰ παρὰ τὰ ἄλλα quoque eructantur, ſed ob humoris ad excretionem inidonei copiam & craſſitiem, vnde pro excretione ἀπόθεσις à naturâ ſuccenturiatur.

Tot ominoſis ſignis adiicienda quoque eſt hęmorrhagia ſiue profuſa fuerit, ſiue tenuis valde & acciſa, vt in narium ſtillicidio; ſanguinem enim magna pernicie aſperſum, ſi ſit deſperatæ coctionis, natura haud amplexatur, ſed malitiæ ſuæ permittit: vnde non tam actione naturæ propellitur foràs, quàm vi propriâ ac inſtar transfugæ è ſeditioſa ciuitate venis elabitur, more venenorum, atræ bilis atque lumbricorum ſponte terga dan-

tium. Sed quod miremur, ſanguis iſte profugus, ac plerumque etiam ille ipſe qui ſectâ venâ educitur, rutilus optimuſque apparet, quod venenoſa qualitas ſenſum lateat, ſoliſque pateſcat facinoribus, ſicut edulia veneno delibuta odoris, coloris, ſaporiſque gratiam ſeruant, vel quod venenatæ putredinis foculus altior ſit, ſtrictiſque limitibus circumſcriptus.

Quid demùm dicemus de vrinâ & pulſu? Illa quandoque intercipitur, quandoque ægrè ducitur atque tortuoſe, quandoque immoderate fluit, ſanguine liqueſcente in ſerum, quod nec aluo nec ſudore exitum habens ad mictuales ductus conuertitur. Inſuper aut aquoſa vrina redditur ac limpida, aut confuſa, aut rubens, liuida & nigra, aut oleaginoſa propter partium

σωώτηξιν, aut denique ſanorum vrinam referens, ſiue propter inconſpicuam veneni vim, ſiue propter ſitum morboſi apparatus circa cor verſantis, necdum deriuati ad truncum venæ cauæ deſcendentem per quem ſerum ab hepate ad renes diſtribuitur: quod ſubolfeciſſe videtur Hippocrates damnans ὑπέρπονα, vbi plerique perperam legunt ἐπίπονα. Notandum autem vrinarum infidelitatem haud eſſe malignis febribus propriam, ſed interdum quoque licet rariùs poſt vrinas diu coctas in ſimplici putridâ, interitum nullo errore conſequi, ſicuti ſuffragante experientiâ ſatis ſuperque vulgari à Fernelio preclarè annotatum eſt: adeò vt obiter mirari lubeat Galenum ſcribentem tantam ab vrinâ in acutis febribus vim eſſe, vt ſoli ipſi fidendum ſit.

2. prorrh. 24.

c. 10. Meth. gen. cur febr.

p. 10. ſ. 1. l. 6. Epid.

Pulſus aliquando humilis eſt, occultus, inæqualis, intercidens; aliquando celer, frequens, robuſtus; aliquando à ſeipſo parum aut nihil mutatus: Nam interdum propter caloris febrilis ac veneni vim ſtrenuam atque pernicem, febris micat mox ab ipſa εἰσβολῇ, portentiſque odioſa eſt terribilibus; interdum interpolis eſt fucoſa, nec Medicis modò δύσγνωστος, ſed ipſis quoque ægrotantibus qui etſi mentis compotes, ſe perbelle degere affirmant, vel ſe mori quidem conquerunturr, ſed quid ſentiant mali, verbis exprimere nequeunt. Captioſi iſti morbi quaſi poſt ſiparium ſuas exercentes tragœdias, à Sabino apud Galenum latronibus apprime comparantur, qui incautos viatores, ſuique nimiùm ſecuros ex inſidiis opprimunt.

Cur autem pulſus in malignis febribus perſtet immutatus, alij aliud cauſantur. Exiſtimant nonnulli naturam, putredinis magnitudine perterritam, non audere morbum adoriri, eóque miſſo, corporis regimini velut in ſanitate totam ſe dedere; itavt intentata materia morbifica, pulſus non alteretur, vti nec vrina: quemadmodum in tumoribus quamdiu membrum humorum copia atque qualitate premitur, neque dolores, neque febres vigent, ſed tùm demùm ſymptomata inualeſcunt, vbi natura certamen inſtituit cum morbo, ac πυοποίησιν aggreditur.

Conciliat. diff. 94.

Verùm quia abſurdum eſt naturam quæ, vt ait Galenus οὐ μόνον οὐκ ἔστι σοφὸς, ἀλλὰ παντάπασιν ἄλογος cum conſilio & libertate operari: Aliis placet hanc, non quia pauefactam,

lib. de conf. fœt.

ſed quia veneni maleficio derepente eneruatam à pugnando abſtinere. At ſi natura ad arteriarum pulſus in modulos certos, legeſque metricas affatim habet roboris, quidni ad luctam cum morbo eadem ſufficiet? Deinde cur creſcente iam ac ſurgente febre, viribuſque magis labefactatis, pulſus demutari incipit, & à genuina integritate deflectere?

Plerique ad qualitatem venenatam confugiunt arcano modo non caliditate cor inſectantem: At venenum iſtud purum non eſt, ſed vt demonſtrauimus, putredini ſociatum.

Galenus docet debilitata potentia pulſifica, auctoque ventilationis vſu, pulſus fieri mediocres, exemplo hominis imbecilli hoſtem fugientis, quem fugiendi neceſſi- 1. de cauſ. pulſ. 5.

tas velocem reddit, imbecillitas tardum; ex qua velocitate atque tarditate, motus medius & moderatus consurgit. Contrà verò in febribus bene moratis quotidiè obseruare licet facultatis infirmitatem, cum adauctâ ventilationis necessitate, neque tamen pulsus esse sanis quàm simillimos; & reuerà languida virtus pulsus necessariò accersit paruos & debiles, vsusque incrementum crebros ac celeres.

Nos igitur fraudulentiæ febrium malignarum, ac potissimum mendacis earum pulsus causam, partim à veneno, partim à putredine expiscandam esse iudicamus: Venenum si minùs actiuum fuerit, operibus & cuniculis rem gerit, donec viribus eundo acquisitis iam non clandestino, sed aperto Marte, & quasi passis vexillis prælietur: pu-

tredo autem profunda ac ſordida tam exorbitante ſcatet humiditate, vt obrutus febrilis calor non poſſit ἐκλάμπειν, quouſque tandem euictâ putrilaginosâ vligine, ſopiti ſuſcitentur ignes, dentque clara incendia lucem: pariter ac natiuus puerorum calor ſuperfluo humido ſuffocatus, non ante exſplendeſcit quàm huius nimietatem pubertatis aduentus moderauerit: Nam vt ſiccitas eſt lima caloris, ſic humiditas caliditatem retundit: hinc febres ἄλαμποι; ſed maximum incendium præ ſe ferentes, vbi incipiunt καταλάμπειν illicò βληχροὶ fiunt atque χλιαροὶ, omniaque ſymptomata à calore ſoboleſcentia deſæuiunt, dum interim floret venenata qualitas, vireſque ſuas exerit.

Hîc tamen notandum eſt non ſemper contingere vt febrium ma-

lignarum calor, eo quo dictum eſt modo intepeſcat; ſed hunc ſæpenumerò in interaneis reâpſe vigere, ac inibi tanquàm in cubili ferarum more φωλδύειν, nec propter accenſæ materiæ craſſitiem, aliáve impedimenta exſpatiari, itavt externo proſpectu μὴ τεχίζεις illudat, minuſque luceat exteriùs quàm interiùs adurat, πυρ ὑποβρύχιον, ἀλαμπὲς καὶ δριμὺ, vocat Aretæus, *Ignem alte demerſum obſcurum & acrem*, vt ex linguâ nigrâ & ſcabrâ, anhelosâ & quæ ore patulo obitur reſpiratione, ſiti, atque alyſmo, ſatis innoteſcit, necnon quandoque ipſorummet ægrorum de incendio interno querimoniâ, ne ſyndones quidem tolerantium, id in peſte Atticâ cecinit Lucretius,

2. de cauſ. & ſign. acut. 7.

lib. 6.

Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri

Corporis

Corporis in ſummo, ſummam ferueſcere partem,
Sed potiùs tepidum manibus proponere tactum.
Intima pars homini verò flagrabat adeſa,
Flagrabat ſtomacho flamma, vt fornacibus intùs.

Porro non requiritur vt omnia malignitatis ſymptomata ſuperiùs celebrata agminatim ingruant, ſat eſt plerumq; vnum aut alterum è quo malitioſam, vaferrimam atque verſipellem febrem velut ex næuo hominem, aut ex vngue leonem agnoſcet ſagax & exercitatus Medicus, cui longo vſu ſymptomatum malignorum neſcio quod ἄῤῥητον, vt ita loquar, φυσιογνωμικὸν innotuit.

Atque canes vt montiuagæ perſæpe ferai Lucret. l. 1.

Naribus inueniunt intectas frondē quietes
Cum semel institerunt vestigia certa viai;
Sic aliud ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras.
Insinuare omnis, & verum protrahere inde.

Postremò vt ad dignotionem temperiei ad iustitiam in animalibus præter generalia testimonia, ratio præcipua habenda est actionis quæ vnicuique illorum speciei particulatim competit; puta ad εὐκρασίαν homo debet esse sapientissimus, leo fortissimus, ouis mitissima, canis fortissimus simul & mitissimus: sic quoque præter vniuersalia indicia malignitatis, huius noxæ separatim attendendæ sunt; Exempli

gratiâ, ſi æger febre ardente æſtuans, in qua vigilias perennare æquum eſt, ὕπνῳ βαπτίζεται ferreo ſopiatur ſomno, venenum erit narcoticum : ſi inſania tumultuoſior fuerit, quàm pro ſorte febris ad ſolani maniaci naturam illud accedet : ſi ſitis fatiget prægrandis, imparque ſit febrilis calor, ac imprimis ſi ſitis illa fuerit ἀπλήρωτος, ſiue inexhauſta, dipſadum ἰδίωμα æmulabitur, quorum venenum craſſius affusâ aquâ viuiſcit, igneſque Græcos ac artificiales imitatur caloris adeò tenaces, vt in mediis aquis ardeant: ſi ſanguis ore, naribus aluo, vtero, vrinis, venis hæmorrhoïdalibus proſiliat, ſerpentis hæmorrhoï genium participabit, vel plantæ illius hæmagωgæ apud Thraces Bithynicos naſcentis, de qua memorabilem hiſtoriam tradidit Galenus

cap. 4. lib. de purgant. medicam. facult. & ita de aliis.

In genere cardo διαγνώσεως maxime vertitur in exactâ ſymptomatum cum febre collatione, nimirum: An illa ſint ἄτοπα totoque cœlo diſtent à febre, vel ſaltem quoad gradum & intenſionem ſint febre ſuperiora, aut ante debitum tempus inſtent, & quæ in vigore affli-ctare fas eſt, morbo coæua ſint, atque ab eius primordiis comparеant; Nam ſi deſit analogia effectuum cum ſua cauſa, aliquid maligni in hac latitare neceſſum eſt.

Reſtat vt ponamus diſcrimina febrium ſimpliciter malignarum, quas nonnulli ſpurias peſtilentes vocant, & vere peſtilentium. Primò igitur illæ victus incuria, ſæpius quàm aëris flagitio; hæ contrà aëris magis quàm diætæ crimine illabun-

tur. Secundò illæ minùs traduces ſunt, & contactu frequentiùs ac expeditiùs quàm relicto fomite, aut ad diſtans proſeminantur; hæ ſunt magis contagioſæ, ac præter συνάφειαν φθοροποιὰν per fomitem & ad remota ope ἀποκρίσεων νοσηρῶν facillime diffunduntur: Nihil eſt tam volucre quàm peſtis, nihil faciliùs emittitur, nihil certius excipitur, latius diſſipatur. Tertiò illæ minus crudeles ac ſæuæ exiſtunt: hæ immites ad ſummum ac horrendæ, præcipuè verò inguinum, axillarumque bubonibus notatiſſimæ ſunt, protruſis ab hepate & corde in ſua emunctoria infenſiſſimis humoribus; Comites etiam eunt anthraces per cutem hic & illic erumpentes, quibus quaſi accenſis facibus, peſtis intus recondita fulgurat, donec tandem ſyderet; cum

in febribus malignis, parωtides bubonum, ecthymata ac puncticulæ carbunculorum loco ſint. Denique diſtinguuntur & motu & periculo; Nam quemadmodum temporaria venena lentas trahunt moras, priuſquàm interimant, ſic malignæ febres propter veneni ac putredinis ignauiam, longæ eſſe poſſunt, harumque mentionem fecit
ſect. 3. Hippocrates lib.3.Epid. & quamuis ſæpe ſæpius ſint de numero acutarum, non tamen feſtinantiſſime ſua percurrunt tempora, deinde plures ab iis ſeruantur quàm intereunt: peſtilentes autem incitata admodum rapiditate, curſum ſuum peragunt, & potiorem mactant ægrorum partem, imò populoſiſſimas ciuitates coloniis exhauriunt.

1. Æneid. *quis funera fando*
Exprimat, aut poſſit lachrymis æquare labores.

PROGNOSIS.

PErgamus iam ad prognœſin. Celebris eſt Aphoriſmus : *Morborum acutorum non omninò certas eſſe prædictiones, neque ſalutis neque mortis.* Sed in febribus quarum acumini malignitas auctariò iungitur, præſagium multò magis infidum eſt : ægri enim quandoque vallati pernicialium ſymptomatum phalange, & in quorum labiis iam fatum oberrabat, inſperato defuncti, ſuperſtiteſque euaſerunt ; interdum autem cum vrina laudabili, pulſu valido, pleno & æquali, aliorumque optimorum ſymptomatum caterua improuiſo perierunt, itavt cautos, prudenteſque Medicos deceat, quia ſpecie recti facile decipiuntur, iudicium ſuſpendere,

2. Aph. 19.

ne ante tempus triumphantes, cogantur detriumphare, vt verbo Tertulliani vtar; hîc namque profanantur ſanctiores augurandi leges; ſic teſtis eſt Galenus plurimos quidem ſenes & pueros cum intermittente pulſu à febribus liberatos, iuuenem vero neminem: nihilominus tamen iuuenes non pauci cum eiuſmodi pulſu, febris malignę periculum eluctati ſunt; ſic alui fluxus in morbi principio è re fuit ægrotantis, reluctante licet Hippocratis decreto, τὰ κρίνοντα ἐπὶ τὸ βελτίον μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, quod nocua & adulterata materia nequeat nimiùm cito corpore exterminari. E contrario autem morbo iam prouecto ac lucente pepaſmo, aborta diarrhæa ægrum peremit, quantumuis indice Hippocrate: *Coctiones celeritatem criſeωs*,

l. 2. de præſag. ex pulſib. 4.

p. 45. f. 2. l. 1. Epid.

certamque sanitatem polliceantur. Etsi enim putredo, coctionis beneficio emendata sit; superest tamen altera, eaque perniciosior causa, videlicet indomita, ac per moramentum altius impressa principalibus membris malignitas hominem tollens è medio. Somno tranquillo atque moderato vt nihil efficacius est ad virium refocillationem, & materiæ concoctionem, ita nihil certius ad salutis prædictionem; ille tamen nihil opis affert febribus malignis; quin potius ipsas exasperat, ac nouis auget symptomatis; spirituum enim & natiui caloris excursionem coercendo simul quoque concentrat venenatam cacochymiam, hancque superare non valens, commouet saltem atque exagitat: qua de causa in historiis Epidemicis multi è somno deliri facti sunt ac

cephalalgici, meritoque Hippo-
2. aph. 1. crates: *In quo morbo ſomnus laborem*
4. aph. 28. *facit, lethale.* Pronunciauit Hippo-
crates ſurditatem euaneſcere ſu-
perueniente alui fluore. At per
haſce febres, aluo fluente haud ra-
renter aduenit ſurditas. Deinde
quantumuis natura ſit φιλέβδομος,
& Dea illa impare gaudeat nume-
ro, attamen febres malignæ diebus
paribus ſalutariter deſierunt, πάντα
ἐν τούτοισι τοῖσι χρόνοισιν ἐκταῖα ὀγδοαῖα
4. Epid. ἐκρίνετο, inquit Hippocrates. Nec
eſt quod aliquis contendat has fuiſ-
ſe ſanguineas, ac ſanguinem pari-
bus diebus moueri: Nam malignæ
febres etiam è biliosarum claſſe, pa-
ribus diebus tutò & ſine recidiua
ſolui viſæ ſunt, contra edictum Le-
giſlatoris noſtri τὰ ἐν ἀρτίῃσι κρινόμενα
δύσκριτα καὶ φιλυπόστροφα. Tandem
ſtilla è naribus etiam atque etiam à

præceptore infamata tanquàm erectum de triumphatâ naturâ morbi trophæum, ſupplet quandoque vicem legitimæ ac perfectæ criſeωs, paucumque fit criticum, quod malignus ſuccus more venenorum, modicus ſit in quantitate, multus in virtute: ita febrem Hungaricam cuius ſuprà meminimus, ſanguinis arterialis ac purpurei ſubſtillo iudicatam fuiſſe, fama ẽſt.

In tam lubrica atque ambagioſa euentus coniectatione quædam monenda ſunt. Primò has febres in vniuerſum præcipites eſſe atque luctuoſas, etſi minus quàm peſtis. *Febres maligniſſimæ*, inquit ſenex noſter, *& cum grauisſimis ſignis coniunctæ, quarto die occidunt aut etiam prius.* Sic Criton eiuſmodi febre correptus, ſecundo die ereptus eſt. Nam malignarum febrium vene-

3. prog. 3.

p. 26. ſ. 3. l. 1. Epid.

num potens eſt atque capitale, cui non ratione propter vim eius abſtruſam, non etiam experimentis quod ſæpenumerò nouitium ſit, nec vſquam animaduerſum, propriam antidotum quimus opponere, generalibus alexipharmacis contenti quæ vtilia quidem ſunt, at non ſpecifica atque ἐναντίϐια. Sed in recenti præſertim earum graſſaturâ, luduntur Medicorum conatus, communia therapeutices theoremata ſectantium, antequàm multorum ægrorum detrimento ſapuerint, & anormem ſæpe febres iſtas heteroclitas curandi modum adinuenerint. Stat ſiquidem experientiâ, aliàs profuiſſe phlebotomiam, aliàs eos omnes è vitâ migraſſe, quibus ſecta eſt vena; & ſimiliter purgationem ſeu ἄνω ſeu κάτω præſcriptam nunc fructuoſam eſſe, nunc

damnoſam; ita Hippocrates in peſtilenti ſtatu lib. 3. Epid. pleroſque à catharticis multùm offenſos fuiſſe narrat. f. 3. p. 56.

Secundò animaduertendum ſigna prognoſtica non eſſe numeranda ſed ponderanda, vniuſque maleficentiâ plurimorum probitatem poſſe euinci, ſic in variolis atque morbillis vnica puſtula, præcipue circa thoracem, nigra, liuida aut violacea, contra fidem cæterorum ſignorum ſalutem ſpondentium, abunde eſt ad mortis præſagitionem: ſic duæ treſve ſanguinis denigrati è naribus ſtillantis guttulæ, ceu atri anteambulones exitium prænunciant; ſæpe exiguus mus augurium tibi triſte dabit.

Tertiò notandum febres malignas partium quarumdam intertrimento cum miſeris ægris inter-

dum pacisci, aliosque luminibus cassos, alios auditu spoliatos, alios mente captos, alios memoriâ orbatos superuiuere, alios etiam artuum corruptione mutilos; sic à variolis vlcera Telephia nonnunquam supersunt, à quibus ipsa quoque ossa depascuntur, & Hippocrates in pestilenti constitutione pluries à nobis citatâ, membrorum ἐκπτώσιας memorauit: item Thucydides in nobilissima peste Attica, lib. 6. necnon Lucretius his verbis:

Profluuium porrò qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in neruos huic morbus & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipsas.
Et grauiter passim metuentes limina lethi
Viuebant, ferro priuati parte virili:

Et manibus ſine nonnulli pedibuſ-
que manebant
In vita tamen, & perdebant lu-
mina partim.

Poſtremò obſeruandum eſt quò venenum ſegniores ciet turbas, eo res ægrotantis deteriore loco ſitas eſſe; quoniam furtiuâ manſione illud magis radicatur, firmioreſque nanciſcitur malignitatis, vt ſic dicam, neruos: quamobrem ſi in therapiâ febrium pure acutarum fugiendæ ſunt diffuſiones & comperendinationes, quod Medicina ſit ὀλιγοχρόνιος; in curâ malignarum promptiſſima celeritas etiam mora eſt, momentoque quolibet ocyus ſubueniendum, ne venenum neglectum humoribus ac partibus ſeſe penitiùs inſinuet inſeratque, ac vt habetur in ea Epiſtola quæ circumfertur nomine Hippocratis

ad Crateuam. *Ab omni arte aliena eſt procraſtinatio, maxime verò à Medicinâ in qua dilatio vitæ periculum affert; temporum autem opportunitates curationum ſunt animæ, earumque obſeruatio, finis.* Itaque properemus ad curationem, hancque paucis abſoluamus.

THERAPIA.

VT ſagittæ aberrant, nec vmbilicum contingunt vbi collineatio fallit, ſic temere adminiſtrantur remedia, niſi dexterâ ἱστο-ρίᾳ indicationes priùs deſumantur: quod enim erant iter facientibus ſtatuæ Mercuriales in biuiis olim extructæ, quod nauigio clauus eſt, quod Architecto libella & linea, id medenti ſunt indicationes. Hæ in curatione febrium malignarum multi-

multiplices occurrunt, nempe plenitudo cacochymica atque venenata κενωτικοῖς detrahenda; obſtructiones ἐκφρακτικοῖς reſerandæ; calor extraneus ἀλλοιωτικοῖς reſtinguendus; venenoſitas ἀλεξιτηρίοις edomanda; Natura demùm cardiacis munienda; quibus ſcopis ſatisfiet auxiliis hauſtis è triplice fonte, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

Itaque ad eluenda alui ſuperuacanea ac refrigerium viſcerum, crebris clyſmis, tanquàm balneis quibuſdam internis, detergentibus, refrigerantibus & emollientibus venter ſubducatur.

Venæ-ſectio, eaque pro modulo virium metienda atque iteranda, (ſecùs ſummum ius, ſumma foret iniuria) præſidium putetur ϑυναγό-τατον καὶ ὀξύτατον generoſiſſimum &

maxime præſentaneum, quod inter λιποπύρετα ordine primum ſit, vt dignitate præcipuum, nulli ætati nec infantili, nec ſenili negandum, renitente licet auctoritate Veterum quorum æuo ἐν γάλαξι καὶ ἐν σπαργάνοις, in lacte & faſciis Medicina quodammodo verſabatur. Nolimus itaque ἀρχαϊκὰ φρονεῖν, ac ratio ætatum duntaxat ineatur pro definiendâ frequentiâ & copiâ educendi ſanguinis. Tundantur autem primùm venæ ſuperiores, ac poſtmodum inferiores in ſuppreſſione ſolemnis effluuij menſtrualis aut hæmorrhoidalis; vel vbi præter vacuationem opus eſt ἀντίσπασι humorum ſurſum excurrentium, vt in cephalalgicis, paraphoricis & cataphoricis ſymptomatis; quodque mirum, innumeris compertum eſt experimentis, ipſaſmet prægnan-

tes, potiſſimùm mediis geſtationis menſibus ſaphenæ apertionem fœliciter & ſine abortu toleraſſe.

Apage igitur αἱμοφόβους conſpectis in cute papulis venæ-ſectionem ſuperſtitioſe abhorrentes. Nam vt ſileamus naturam oneris parte leuatam, maioribus auſis, aduerſus reliquias materiæ alacrius inſurgere; certiſſimum eſt cutaneas illas eſfloreſcentias eſſe ſymptomaticas, atque ἐκβράσματα ſiue reiectanea ſanguinis exæſtuantis, proindeque phlebotomiam expoſtulantis. At demus eas eſſe criticas, tamen ſine dubio criſis erit ἡμίῤῥοπος ſemiflua, & abſceſſus quaſi dimidiatus, morboque impar, quem adiuuare æquum eſt, eundo ſemitam naturæ, ἀκτέα ᾗ ῥέπει διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων; Atqui idem eſt motus exanthematum & venæ- lib. de humor.

ſectionis, è centro ad circumferentiam, è corporis penetralibus in eius planitiem, tantum abeſt vt apertâ venâ reſlentur ſucci ad cutem euocati, iterque relegant: Annon enim inanitis per venæ-ſectionem artuum venis, ſanguis è maioribus interioribuſque vaſis continuitate quadam illicò affluit vacuum locum repleturus? quis igitur negare auſit à phlebotomiâ ſanguinem ferri non foris intro, ſed intus foras? Vnde etiam in inflammationibus internis, item in mœrore & timore improuiſo vena ſtatim ferienda eſt, ad ſanguinis ac ſpirituum in viſceribus collectorum explicationem; & quanquàm poſt phlebotomiam ſomnius interdum premat, ob diſſipatos ſpiritus quos natura reſarcire ſatagit, is tamen iure interdicitur, ne pręſidium

ſuo fruſtretur fine, nempe diffuſione ſanguinis ab internis ad externa. Porrò venæ-ſectionem in febribus malignis minimè diſſuadet color ſanguinis extracti non raró floridus ; id namque contingit quod focus putredinis profundùs ſit atque anguſtus, putà exiguum venæ cauæ ſpatium occupet, vt vel inde probatur, quod repetito ſæpius ſæpiuſque hocce remedio ἡγεμονικῷ, ipſa quoque morbi minera tandem exhauriatur, ſanguiſque putridus effluat. Et quod ſedulò notandum motâ febrili camarinâ aſſueuerunt ægrotantes animi defectione corripi, ſed quæ Medicum in artis operibus exercitum ac detritum haud terrefacit, nec dimouet ab incepto; Attamen hìc opus eſt cautione : Nam tantò pleniore manu ſanguis extrahi debet, quantò putredo ve-

nenum ſuperat; ac vice versâ tanto parcius ille mittendus eſt, quanto venenum putredini præpollet, quâ de causâ liberaliorem phlebotomiam, quandoque nocentiſſimam fuiſſe dictauit experientia, itavt peſte febris experte laborantes, pariter ac illi qui venenum ebiberunt, Medicos exoptent ſanguinis, vt ita dicam, abſtemios.

Phlebotomiam excipiet catharſis, potiſſimùm ſi affuerit ventris multâ humorum fœditatę ſaburrati περίττωσις; quamuis nulla vel ſaltẽ adhuc obſcura ſeſe offerant pepaſmi rudimenta, ſecùs dum vlteriorem pręſtolamur coctionem, æger interim à cunctante veneno perſępe ſuffocatur. Alij tamen anticipandæ purgationis aliam cauſam afferunt, videlicet humorem malignum in contrariam abiiſſe coctio-

ni diſpoſitionem, nec modo huius actum, ſed potentiam quoque refugere, ac idcirco fruſtrà exſpectari mitificationem humoris quę nulla futura eſt. At hi manifeſto aberrant; nam vęrum eſt quidem in febre maligna lethali materiam haud ſolum incoctam eſſe, ſed etiam incoctilem, propriâque culpâ ac peruicaciâ τὸν ἐκ φύσεως κόσμον gratiam & ornamentum naturæ nunquam ſuſcipere; ſed in febre non lethali, ſuccos malignos à natura vtcumque coqui ac ſubigi indubitatum eſt, cum huius victoria in humorum pepaſmo poſita ſit, ac variolæ ſuppurent, imo carbunculi, buboneſque peſtiferi, ſi res ægri proſperæ ſunt ac ſeçundæ, ad maturationem perducantur; neque etiam bubones venerei, naturæ çoquentis imperium detrectent.

Purgatio autem in hiſce febribus non mochlica ſit, ſed blanda, &, ſi fas ſit cum vulgo βαρβαρίζειν, minoratiua, quam συρμαϊσμὸν vocat Galenus, ex tamarindis, pulpâ ſiliquæ Ægyptiacæ ; foliis orientalibus, rheo, ſyrupis diarrhodon, ac è floribus mali Perſicæ, manna Calabrino ad expurgationem ſeroſæ immunditiei per febres malignas vberrime luxuriantis.

comm. 2. de artic.

Præſente autem nauſeâ, nec deiectoriis ſat proficuis iuxta ῥοπὴν humoris arte concitetur vomitus, quo non ſolum primæ, ſed ſecundę quoque & tertiæ corporis regionis impuritates emundentur : Nam ſi ventriculus iuxta maris facultatem dat omnibus & ab omnibus accipit, vt legitur apud Hippocratem : ſi mediante iecore, vniuerſis corporis partibus copulatur, recipit-

lib. 1. de diæt.

que earum excrementa, iuxta doctrinam Galeni, quis non videt partes omnes etiam remotissimas ab humorum molestantium sarcinâ per ventriculum posse expediri? Nec immeritò obseruatum esse ab Aristotele ipsammet lassitudinem, etsi eius materia per musculosum genus longissime dispersa sit, vomendo sedari: presertimque soporati ęgri sumpto Emetico euigilant, seu cataphora sympathica fuerit à plenis, fumantibusque præcordiis, seu idiopathica cerebro humorum multitudine inebriato: dum enim lancinatur vomitorio ventriculus, cerebrum simul proritatur ac communi quassatu atque ξυμμαχίᾳ humorum moles vtrumque hoc viscus opprimens excutitur; Nam propter nerui sextę συζυγίας progeniem ventriculo largius circumfu-

2. prognost.

4. probl. 7.

ſam, eximius eſt ventriculi ac cerebri conſenſus; ſic vomunt phrenitici, vertiginoſi & hemicranici, capite ſauciatis χολεμεσία ſuperuenit, & ſingultus ſternutamento fugatur; hiſque rationibus concinit experientia permultorum febricitantium qui in Carum cæteris præſidiis inexpugnabilem iam delapſi, ex ipſiſmet Orci faucibus, citato vomitu, quaſi virgulâ diuinâ reuocati ſunt; itavt huic veritati aduerſari, hominis ſit plane inſcientis, inexperti atque contentioſi: quodque notatu dignum, ipſamet grauiditas in mulieribus vomitum non dehortatur; hic ſiquidem niſi violentiſſimus ſit, ſimulque deorſum humores moueantur, reuellendo, abortum potius arcet quàm prouocat, cùm vtero gerentes etiam primis menſibus, quibus ob fœtum

adhuc tenellum religio eſt purgare Hippocrati, ſpontaneis nauſeis ac vomitibus citra aborſum quotidie diuexentur, quinimò reliquo geſtationis tempore, illę melius habeant ac auſpicatius pariant. 4. Aph. 1.

Sed de vomitorij delectu inter viros grauiſſimos magno æſtu diſceptatur; *adeò indelebile malum eſt*, inquiebat quondam Galenus, *eluique non potens circa ſectas ambitio, ac ſcabie quâuis ad ſanandum rebellius.* Alij enim ſtibium vtvt artificiosè præparatum tanquàm ſtygium traducunt remis veliſque fugiendum; Alij verò eius in vino albo infuſionem, ſicut & puluerem, ceu auguſtiſſimum artis Phœbeæ Palladium venerantur, in quo ſpes inclinata recumbit. Hippocrates pro ciendo vomitu plurimùm vtebatur veratro albo quod Elleborum ſine adiun- 1. de natur. facult. 13.

cto appellare consueuerat. Sed cum Elleborus albus venenatus sit, ac πνιγηρὸς, credibile est quamdam eius correctionem Hippocrati fuisse cognitam. Vtinam hæc temporum iniuriâ non intercidisset, idem remedium lubentissime vsurparemus; Vt enim in bello, sic in Medicina veteranæ copiæ recenter conscriptis prestantiores sunt, ac medicamenta amicorum in modum haberi debent, è quibus nouos non decet veteribus anteferre: Verum cum ista Ellebori castigatio posteris fuerit inuisa, non est cur tutissimum veratri Hippocratici ἀντιβαλλόμενον tot victoriis reportatis nobilitatum, scilicet Antimonium, repudiemus, tametsi nuperis temporibus adinuentum: Et quandoquidem lis est de facto, si quandoque viris placeat eruditissi-

mis qui tam aculeato eloquio in hocce remedium declamitant, posito omni pręiudicio, salutarem illius virtutem experiri, iuxta illud præceptoris μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερε-ορᾶν nihil temere, nec nisi bene subductâ ratione agendum, nihilque negligendum, confido fore vt Antimonium colant pro Sospitâ Medicinâ, nec ipsos pudeat præsidium à musteis Chymicis mutuari, cum iusseritHippocrates nos etiam ab idiotis discere quę conferunt ad curationem, nec pauca remedia à brutis ipsis ars nostra mẽdicauerit, alioque loco idem Hippocrates dixerit Medicinę principium & viam iam dudum patefactam esse, reliqua verò in posterùm detectum iri; item scientias & artes per additamenta fieri: pariterque à Galeno scriptum sit, materię facultates de-

p. 17 s. 2. l. 6. Epid.

lib. de præcept.

lib. de Veter. Medic.

lib. de arte.

2. κατὰ τόπους 1.

clarari experientiâ, ac per hanc auxiliorum copiam progreſſu temporis adaugeri. Quod ſi Antiſtibiani, ἰσχυρογνώμονες, ad opinionem conceptam ſemel atque adamatam tanquàm ad ſaxum velint adhęreſcere, tenentur ſaltem aliud nobis ſufficere vomitorium Hippocratici Elleboriſmi ὑποτηρητὴν; vel cogitent apud ſe, Annon ipſis iure tribui poſſit illud Galeni, *qui eiuſmodi ſectis ſunt addicti, non ſolùm nihil norunt, ſed ne diſcere quidem dignantur.*

1. de natur. facult. 13.

Poſt ſufficientem & aluinę & venoſę plenitudinis depletionem, cucurbitulę ſcarificatę, ſcapulis, lumbis, ac internę crurum regioni vtiliter affiguntur, imo fortius reuellunt, ac leuiore virium delibatione quàm ipſa venęſectio: Nec infructuoſa ſunt quamplurima cornicu-

la cum tenuissimis cuticulę incisuris, hic & illic aptata: φοινίσσοντα quoque remedia, & magis adhuc vesicantia, non solùm interscapulio & pone aures, sed brachiis quoque & cruribus applicita, humores altius insidentes ad cutem euocant hancque, vt loquitur Aurelianus, papulare faciunt. 3. tard. pass. 14

Nec tantùm sensibiles euacuationes sunt instituendę, sed insensilis quoque per cuticulares meatus difflatio concilianda. In quem finem prętter alexipharmaca & cardiaca remedia, iamiam enumeranda, quorum pleraque conducunt ad διαφόρησιν, rareque faciunt lateramina cutis; laudatur Antimonium quod deposita vomitoria ac purgatiua virtute, diaphoreticum euasit; viui etiam catuli, pullive columbini per mediũ dissecti, aut

veruecum recens mactatorum pulmones lieneſve detonſo vertici, alis, inguinibus, carpis manuum, plantiſque pedum meritò apponuntur. Sunt qui bufones lecto ſubiiciant vt venenum ægrotantis, propter ſimilitudinem, ab iſtorum animalium veneno eliciatur, haud ſecùs ac ignis partis ambuſtæ Empyreuma prolectat. Alij in eumdem ſcopum, tempora, axillas, manuum carpos & inguina oleo ſcorpionum inungunt, atque etiam arſenicum preſcribunt ad cordis regionem è collo pendulum.

Cæterum vacuationi cùm patenti tùm latenti ita incumbendum, vt interim de alterantibus ſimus ſolliciti pro extinctione incendij febrilis: Nam quemadmodum ſublatâ portione aquæ bullantis, hęc non tepeſcit, ſed venti frigidi afflatu,

tu, ac præsertim frigidæ affusione, fluctus eius sternuntur atque conflaccescunt; sic ad humores tumidos vndantesque deprimendos atque tranquillandos, refrigerantia sępenumerò plus prosunt quàm euacuantia. Talia verò eligantur quæ obstructas vias vnà recludant, vt radices fragariæ, graminis, dentis leonis, herbæ cichoraceæ, intybaceæ, endiuia, cicerbita, buglossum, borrago, ac oxytriphyllum prę cæteris conuenientissimum, propter aciditatem, sicut & oxalis pręcipue rotunda. Vt enim extra corpus materiæ sulphureæ inflammabilitatem acida reprimunt; sic intra corpus, flammantem bilem fręnant: id docet Hippocrates sect. 3. part. 38. de diæta acutorum, vbi ait acetum picrocholis magis conferre quàm melancholicis, quoniam in his

atrum humorem fermentat atque multiplicat: in illis verò ab aceto τὰ πικρὰ διαλύεται καὶ ἐκφλεγματοῦται μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτοῦ, amara diſſoluuntur ac pituiteſcunt, dum ab ipſo in ſublime attolluntur. Neque autem per ἐκφλεγματοῦσθαι intelligit Hippocrates in pituitam verti; ſed pituitę qualitatibus vt frigiditate & craſſitie donari, quo ſenſu in ſenibus bilis dicitur φλεγματοῦσθαι, ideóque reddi κατάῤῥοπον. Itaque ex plantis dictis, maxime ex acidis parentur decocta ad amplas doſes quibus in gratiam ęgrotantium, ſaccharum diſſoluetur; ſed in minima quantitate, quod ſaccharata omnia non minus quàm mellita obſtruant ac bileſcant, ſaccharum enim amareſcit longiore cocturâ, continetque ſulphureos ſpiritus qui in tenebris affrictu igneſcentes

coruſcant ; vnde etiam immoderato eius vſu, non minùs quàm foricarum putore ; aut aſſumptis actu nimium calentibus ; niueus dentium candor nigreſcit. Prętermitto ſemina quatuor frigida maiora communiter ſic vocata, eò quòd cucumeris ſemen iudice Hippocrate, humectet quidem; ſed vrat propter pingue & oleoſum ; ſicuti amygdalæ, docente eodem Hippocrate, quia carneę nutriunt ; ſed ſunt ęſtuoſę ratione pinguedinis. Hic quoque ſerum lactis è caprâ pręſertim recenter fœtâ, ſuas meretur laudes, ac profectò nobiliores quàm ingrata apozemata atque nauſeoſa, ne dicam cum Hippocrate μυσηρὰ ποτήματα : Nec renuit eiuſdem Hippocratis auctoritas ; cui piaculum eſt lac propinare acutâ febre correptis. Lac namque è

l. 2. de diæt.

ibid.

lib. de decent. ornat.

5. aph. 64.

triplici coagmentatur ſubſtantiâ, butyrosâ, caſeosâ & ſerosâ; butyroſa, quoniam pinguis, proindeque conflagrabilis, auget ἐκπύρωσιν caloris natiui, in qua febris natura conſiſtit: caſeoſa quę terreſtris eſt atque craſſa, obſepit vias, ac idcirco coniunctam fouet febris putridę cauſam: At ſeroſa rite depurata refrigerando atque aperiendo & febris eſſentiam, & eius cauſam oppugnat, potiſſimùm ſi ἀγωνιστικῶς hauriatur.

Neque ſolis ingeſtis, verum admotis etiam ψυκτηρίοις feruentia viſcera contemperentur; vt enim ἔκπνουν, ſic εἴσπνουν τὸ σῶμα, paretur ergo fotus abdominis tepidus ex decoctione foliorum lactucæ, portulacæ, ſolani, violarum, florum nympheæ factâ in oxycrato, minimeque audiantur qui externa re-

media flocci faciunt. Quemadmodum enim in prælio non gladiis solùm & grauioribus telis res geritur; sed etiam funditorum quædam opera, leuisque armatura est, sic in militia Medica non tantùm potentibus remediis, tanquàm armis decretoriis dimicandum; sed mitioribus quoque velitandum est.

Alexiteria postmodùm & cardiaca in vsum veniant; quoniam autem mixtæ plerumque sunt facultatis, & quæ veneni vim infringunt, simul quoque cordis virtutem tuentur; & pariter quæ cordi benefaciunt, venenositati contrariantur; ideò vtrorumque coniunctim mentio facienda est.

Hoc in loco non possumus non detestari impudentiam haud Agyrtarum modò, & parabolanorum; sed, pudet dicere, quorumdam

etiam Medicorum, qui vni lucro inhiantes, illicitum monopolium in Rempublicam Medicam, ſecretis ſuis non verentur introducere. Conqueramur quoque de ſumptuoſis eorum offuciis qui magnifica oſtentant remedia, vt ipſi apud imperitam plebem, *auidum genus auricularum*, magni pendantur; verbi causâ, margaritas, ſericum, lapidum quinque pretioſorum fragmenta, atque adeò, ſi diis placet, aurum ipſum: item lapidem bezoar qui malis inſtitorum artibus fere ſemper adulterinus eſt, & quamuis germanus ſuppeteret, vix maioris eſſet efficaciæ: Os de corde cerui, quidni & bouis? cuius cor oſſe quoque non caret: Cornu Monocerotis, id eſt quadrupedis fabuloſi, nec vſpiam viſi; rectum enim illud ac procerum cornu tam curioſe

asseruatum, piscium quorumdam ori vtrimque adnascitur instar falcatorum apri dētium, vt Groënlandiæ nauigatores nuper retulerunt. Hicque nonnullorum Medicorum futilitas redarguenda est, qui vim margaritis inesse humorum acrimoniam, vt loquuntur, dulcorandi, exinde nituntur probare, quod acetum peractâ ipsarum dissolutione, dulcescat: patet enim salem quo imbuitur dissoluens, margaritis vniri, atque liquorem relinqui quidem dulciorem, verùm margaritas liquefactas ab adiuncto sale ita acres reddi, vt post præcipitationem, exacta indigeant ablutione; quapropter concludamus expetendam esse candidis Medicis legem sumptuariam quæ medicamentorum, similiter ac conuiuiorum & vestium luxum compescat; atta-

men media via terenda eſt, nec minùs vitare conuenit remediorum ſterilitatem quàm luxuriem, ne in Magiſtrorum Cnidiorum errorem labamur, quos reprehendit Hippocrates, quod paucis numero vterentur præſidiis: Quin potius Medicum vt in peruidendo morbo Argum eſſe expedit, ſic in eodem propulſando Briareum, liceat vti hâc metaphorâ: medicamenta enim, authore Herophilo apud Galenum, manus ſunt Deorum, necnon etiam Medicorum qui ἰσοθέων elogio honeſtantur.

lib. de vict. rat. in morb. acut.

Igitur remediis quibus plus vanitatis ineſt quàm veritatis, valere iuſſis, optimum erit in febribus malignis cordis vim roborare, ſimulque veneni diritatem mollire, tincturâ florum violarum, bugloſſi & borraginis in aqua acetoſæ, ſcabio-

ſæ, cardui benedicti, aut calendulæ cum ſpiritu vitrioli vel ſulphuris extractâ; item aquâ ſtillatitiâ aut decocto radicis Scorzoneræ Hiſpanicæ, admixto ſucço mali Punici, vel aquâ roſaceâ; ſed præcipue commendatur mali citrij ſuccus, cortex & ſemen è quo emulſiones poterunt concinnari: hic namque fructus eſt καρδιοφύλαξ, & corruptioni tam valide obſiſtit, vt à veſtibus quibus interponitur, tineas abigat. Narratur ab Athenæo hi- lib. 3.
ſtoria de duobus reis ad ſerpentum morſus damnatis, qui dum ad theatrum ducerentur, malum citrium ſinguli acceperunt à cauponâ quâdam obuiâ eorum vicem dolente, moxque ab aſpidibus commorſi, nihil moleſtiæ ſenſerunt, hæſitabundo ac attonito iudice: audito autem citrium ab ipſis

comeſtum; poſtridie alteri rurſum dari curauit, alteri denegari, amboſque denuò deduci ad ſupplicium; hicque ſerpente percuſſus confeſtim periit, altero incolumi qui citrium eſitauerat. Prætereà cryſtallum minerale valentiſſimũ eſt venenatæ putredinis, ἀλέξημα; Nitrum enim extra corpus, figit frangitque venenum arſenici & auripigmenti, antimonij malignitas nitro corrigitur, venti frigidi ſicci, quia nitroſi ſtupefaciunt animalia venenoſa, loci in quibus nitrum gignitur, raрò tentantur peſte, ac pyrij pulueris virtus ſingularis ad purificandas ædes peſtilentiâ infectas, nitro præſertim debetur eius compoſitionem ingredienti. Quód ſpectat ad officinales antidotos, probatiſſimæ ſunt confectiones de hyacintho, & de cocco baphico, vt

neque reprobari debent trochisci viperini, nisi obstet febris ardor.

Postremò notandum est per febres male moratas, etiam in perennitate vigiliarum, nonnisi cum προεξακρινήσει seu accuratâ circumspectione ad narcotica deueniendum esse: hæc namque conclamato frigore, vel potiùs tacitâ discordiâ (cum ne plures quidem niuis aut glaciei libræ talem effectum præstare valeant) natiuum calorem vi morbi iam marcescentem facile exstinguunt; tantùm abest vt afflictos spiritus erigant, perditosque recreent. Proindeque hîc locum dare tutius est Dioclis sententiæ, stupefacientium vsum penitùs improbantis: sæpe enim vsu-venit vt malignâ febre laborantes, narcoticis quanquàm debitâ dosi sumptis, è peruigilio repente in Ca-


rum demergantur inexuperabilem, qui non veluti publicanus vitæ dimidium aufert (vt de ſomno naturali dicitur) ſed tanquam ſicarius integram vitam eripit.

lib. de Vet. Med.

Iam ad diætam. Docet in genere Hippocrates ægrotantes plus lædi à victu ſanorum, quàm ſanos à cibis brutorum; ſed ſpeciatim in febribus malignis, ſi in alio quouis morbo, legitima viuendi ratio impenſe ſeruanda eſt, quæ nimirùm non modò naturæ ſtudeat, ſed etiam cum morbo pugnet: Nam faciliùs eſt corpus ſecundùm primas qualitates immutare per cibos & potus, qui & maiore copiâ ingeruntur, & in humores ac partium ſubſtantiam tranſmutantur; quàm per medicamenta quæ & in minore aſſumuntur quantitate, & in corpore parum morantur: Adde quòd

natura medicamentum vt aduerſum reſpuat, alimenti autem benignitate capta, illud auidiùs amplectatur. Quâ de causâ hygieine omnium Medicinæ partium antiquiſſima eſt, & Aſclepiades, aliique priſci Medici vnam διαιτητικὴν excolentes, φαρμακευτικὴν ablegabant. Igitur nutriatur æger alimentis medicamentoſis, nempe iurulentis è carne pulli ac vituli, quibus olera refrigerantia incoxerint, additâ agreſtâ, aut ſucco Arantiorum. Reiiciantur carnium expreſſa ac tortiua iura, quoniam ſeroſa atque ſitifera, ac multò magis iuſcula ſtillatitia, quæ omni nutritoria facultate exuuntur. Ab ouis etiam nuper editis ac ſorbilibus, ſi fieri poſſit, febricitans abſtineat; Ouorum namque albores refrigerant quidem; ſed vitellus calefacit ac ver-

titur in bilem, vtpote è quo oleum satis copiosum arte exprimatur. Eò πιωτέρως καὶ ἁδροτέρως cibetur æger quò vires imbecilliores fuerint, & febris malignitas intensior. Potus
4. tard. sit decoctum è serragine, vt cum
pass. 8. Aureliano loquar; hoc est rasurâ cornu cerui & eboris, vel purum vel cum syrupo ribes; oxyacanthæ; aut acetosi simplicis. Tandem absit pædor omnis atque sordities quæ & calefacit, & perspirationi officit; & fœtore cor ac cerebrum inquinat; nec idcircò Medicis quibusdam scrupulosis atque inofficiosis assentiendum, qui linteorum mutationem tam seuerè ægrotantibus prohibent.



DISSERTATIO PATHOLOGICA: DE RHEVMATISMO.

PΕυματισμὸς ſpecialiter pro catarrho nonnunquam auditur, ſiue humoris è capite decubitu; interdum generatim, ac iuxtà vim etymi ſumitur pro materiæ vndecumque ad quamuis partem appulſu; qua ſignificatione congeſtioni opponitur, & tumores vel κατ' ῥευματισμὸν ab humore aduenâ, vel κατ' συναθροισμὸν à materia indigena dicuntur generari.

Vſus verò obtinuit vt rheuma-

tiſmi nomine, dolores erratici intelligantur externum corporis habitum occupantes, ab effera materia vltrò citróque peruolitante. Quemadmodum populares morbi ſub eadem ſpecie plurimos homines peræque corripiunt, ſic in rheumatiſmo vnius ſpeciei dolores, ceu priuata quædam Epidemia, in plures hominis partes ſparſim graſſantur.

Hi dolores deſultorij ac humorum ὀργασμὸς ab Hippocrate celebratus in eo conueniunt, quod in vtroque affectu errabundus humor quaſi laſciuiat, more animalium quæ libidinis œſtro percita ſtare loco neſciunt: At in tribus diſcrepant. Primò quidem Hippocraticus humorum orgaſmus acutiſſimarum atque malignarum febrium comes eſt, ac licet hæ tempora ſua velo-

citer

citer percurrant; orgaſmus tamen rapidiore adhuc celeritate ſuum conficit curſum; furit ſiquidem per initia febrium; ſed iiſdem iam prouectis conquieſcit: Contrà verò rheumatiſmi non infrequenter ſunt ἀπύρετοι, vel ſaltem blandâ febre comitati, ac diutiſſime ægrotantes exercent: Secundò rarò turgent humores, τὰ πλεῖστα ὐκ ὀργᾷ, 1. Aph. 22.
inquit Hippocrates, rheumatica autem affectio haud inſolenter ſæuit: Denique in orgaſmo impacati humores atque procelloſi penetralia corporis magis quàm eius atria perambulant, ideóque iuxta Hip- 4. Aph. 10.
pocratis præceptum, in ipſo ægrimoniæ principio, quamuis integra ſit cruditas, ipſos cathartico feſtinanter deturbari æquum eſt, ne impetuosè ruant in partẽ aliquam internam & principem. Rheuma-

tiſmorum verò dolores corporis duntaxat pomæria obſident, nec penitiora eius ſubeunt adyta, proindéque ſi alicui parti humor ſeſe affigere meditetur, hæc externa eſt atque ignobilis, nec idcirco materiæ inclinatio præcipitem ante pepaſmum purgationem extorquet.

Mouentur vagæ illæ dolorum tempeſtates à biliosâ vel ſerosâ colluuie, ex alto corporis in tertiam eius regionem ablegatâ, cuius ἐρεθισμὸν cum ſingulæ partes ægrè tolerent, eam confeſtim à ſe amandant, vnde humor horſum vorſum varie impellitur, nec vllibi locorum deſidet, ita vt non pauciora ſint ſupplicia quàm membra. Imò ſubitanei ac incerti eiuſmodi transfluxus cauſam agnoſcimus, non modò conatum naturæ, humoris γαργαλισμὸν impatienter ferentis, verùm

quoque indolem ex ſe volubilem ipſiuſmet humoris, qui non ſolùm qualitate quâ naturam proritat, acerrimus eſt, ſed etiam ſubſtantiâ tenuiſſimus; & temperamento vel corruptione calidiſſimus, ideóque ſpontaneo & velut meretricio appetitu, alias aliaſve partes viciſſim infeſtat, noua ſemper quærens hoſpitia: quæcumque enim calore excellunt, ſimulque conſtant exilitate partium, ſunt ἀυτοκίνητα καὶ ἀεικίνητα, vt patet ſpirituũ exemplo.

Quidam forte arbitrabuntur frequentem illam ac inordinatam dolorum παραλλαγὴν, minime pendêre ab vnius eiuſdemque humoris huc & illuc deportatione; ſed vel materiæ propagationem ſubinde fieri, vel materiam in omnibus partibus eodem tempore contineri, atque in illis ſucceſſiuam pati

fermentationem; ſimiliter ac pruriginoſi, mox vnius, mox alterius membri prurigine vruntur, non humore hinc inde traducto; ſed ſucco acri qui ſub vniuersâ cute diſperſus eſt modo hîc, modo illîc feruente. Verumtamen ſi daretur in rheumatiſmo materię morbificæ non μεϑάςασις, ſed ἐπιγένεσις, recentes dolores priſtinis adiicerentur; at nullo pacto ſeſe inuicem exciperent, nec vno dolore naſcente, alter actutùm denaſceretur: tam momentanea etiam atque fugax eorumdem humorum in eodem loco conſiſtentium nunc commotio, nunc quies vix poſſibilis eſt, itavt erroneos dolores à diuagante materiâ oboriri longè probabilius videatur.

Materia rheumatiſmi duplex conſtituitur, bilis flaua eaque ſub-

tiliſſima, ardens atque mordax ſeu putrefacta, ſeu putredinis expers, & ſerum quod non eſt pura puta aquá, ſed phlegma, vt loquitur nouitia pyrotechnicorum gens, ſale imprægnatum: ſi itaque ſerum vel vberiore, vel acriore ſale aſperſum fuerit, tales dolores procreare aptũ natum eſt: appoſitéque Ariſtoteles ichorem ita diſtinxit vt alius generetur neceſſitate materiæ, alius verò gratiâ finis, quo tanquàm vehiculo per omne corpus ducitur ſanguis: ὁ μὲν ἐξ ἀνάγκης ἴχωρ, ὁ δ' αἵματος χάριν ἐστί: hic per ſe mitior, ille agreſtior ac rheumatiſmorum parens, cuius quoque feritatem augèt διάκρισις. Nam quemadmodum tertianarum intermittentium paroxyſmi crudelioribus ſtipantur ſymptomatis, quàm continuarum anadiploſes, quoniam illic extraua-

2. de part. animal. 4.

ſata ac ſincerior bilis, eſt ἀχάλινος totàque ſui iuris; hîc vero bilis quæ in venis ſtabulatur, non eſt αὐτόνομος, ſed à commixto ſanguine χαλιναγωγεῖται; ſic in rheumatiſmo bilioſi, ſeroſique humores exinde petulantiores euadunt, quod à proborum ſuccorum cœtu ſint ſecreti, nec ſanguinis commercio amplius contemperentur.

Si quis duabus hiſce cauſis pungentes vapores, flatuſque diſtendentes annumeret, ille profectò à veritate non aberrabit, cum in halituoſa ac flatulenta materia, nullæ earum conditionum deſiderentur quæ ad mobiles dolores membris infligendos neceſſariæ ſunt.

Cæteri ſucci vt pituitoſi atque melancholici vtpote qualitate mites, ſubſtantiâ craſſi, ac temperie frigidi, & naturam minus percel-

lunt, & pigriores ſunt quàm vt tam promptè currere & tranſcurrere queant: ſanguis quoque, partim quia viſcidior atque βραδύπορος, partim quia carens aculeo, inconſtantes eiuſmodi dolores nuſpiam ciet, niſi vel putredinis maleficio faceſſat in bilem, vel caloris colliquantis ope ſereſcat.

Cauſa rheumatiſmi, vlceroſæ laſſitudinis & rigoris, tametſi cognata ſit, adeo vt hi tres affectus perſæpe conſocientur; differt tamen quod vlceroſæ laſſitudinis materia immota perſtet, membris pertinaciter aſtricta; humor vero ῥιγοποιὸς circa particulam cui adhæret, agitetur quidem, ſed ſedem non mutet, neque inde alio tranſmigret: hinc enim fit vt concutiantur partes ad obiecti laceſſentis ac immorantis excuſſionem: quod non

contingit in rheumatiſmo cuius humores palantes, vel potiùs diſcurrentes acriter, ſed non diu vnamquamque partem fodicant.

Bilioſam ſeroſamque illam πλεονεξίαν cumulant hepar &, lien ſi præcalida æſtuent intemperie, ac ſicut hepar bilis ἐργαστήριον, ita lien ſeri μητρόπολις exiſtimari debet.

Viſcera hæcce nobilia, vt vegeta vis expultrix ad propriam tutelam ipſis naturaliter indita eſt, ſic degeneres ac noxios quos progenuerunt humores tanquam adulterinam ſobolem reſpuunt, eoſque propulſant in vaſa primùm maiora, dehinc in minora, ac tandem in minima è quibus in habitum corporis eructantur. *Febris ardens fit*, inquit Hippocrates, *cum venulæ æſtiuo tempore exarefactæ acres & bilioſos ichoras ad ſe attraxerint.* Ori-

4. de diæt. acut.

go atque genitura rheumatiſmi è diametro oppoſita eſt, vbi nempe venulæ acri & bilioſo ſero pręgnantes illud in corporis ambitum per quandam veluti ναυσίαν euomunt: Itaque affinis eſt cauſi & rheumatiſmi materia; ſed in illo fertur humor foris intro, in hoc intus foras mouetur, illic venulæ exhauſtæ ſunt atque ſitibundæ, hîc vero turgidæ atque ſaturatæ. Iuuat humorum μετάληψιν partium ſuſcipientium imbecillitas; nam Oeconomia corporis Oligarchiæ iure comparatur, in qua Magnates plebeculam opprimunt, publicis oneribus in ipſam depoſitis. Nec tantùm κατ' ὦσιν humores eo truduntur; ſed καθ' ἕλξιν quoque raptantur à carnibus ſiue excalefactis ſiue dolentibus.

Fauet huic morbo cęcorum cu-

tis ſpiraculorum, ſeu obſtructorum ſeu denſatorum anguſtia obſtans τῇ ἀδήλῳ διαπνοῇ quam latentem diſiectionem vocat alicubi Aurelianus: Vnde hyeme dolores μεταβλητικοὶ ſunt magis familiares, ac per noctem potiſſimùm inualeſcunt: Attamen vidimus, quod obiter dictum ſit, inueteratum rheumatiſmum in iuuene robuſto ac per æſtatem ψυχρολουσίᾳ perſanatum, collecto per antiperiſtaſin intùs calore qui materiam morbificam vel mitificauit vel diſcuſſit, eo pacto quo liberalis frigidæ perfu-
5. aph. ſio tetano medetur apud Hippo-
21. cratem.

Ex allatis planum eſt eos hallucinari qui hanc paſſionem catarrhis adſcribunt: Nam ſicut aqua è fluminis alueo in proximos campos exundans, pluuia dici non de-

bet, quippe quam de cœlo cadere necesse sit: Ita in corpore humano humorum è venarum riuis effusio, catarrhi nomen non meretur, quod huius materia ad imbris modum è capite necessario depluat. Adde quod in vniuersali catarrho membrorum dolores constantes permaneant, vel saltem superne deorsum deuoluantur; non sint vero ἄτακτοι καὶ πεπλανημένοι, nec φορὰν habeant inferne sursum, aut è latere ad latus saliant.

Patientem locum dicebamus esse exteriorem corporis habitum, videlicet vel illud totius corporis integumentum quod panniculum carnosum Anatomici vocitant, vel musculos, siue secundum eorum carnem, siue secundum membranam vnicuique musculo peculiarem, aut etiam communem illam

tunicam quæ omnem muſculorum turbam amicit, ne in motibus diſſiliant: Nam authore Hippocrate:
lib. de arte. *Interſtitia muſculorum vt ſpiritu plena ſunt in ſecundâ valetudine, ſic ichoribus in aduersâ.*

Articuli præterea non rarò infeſtari ſolent rheumatiſmo arthritidem mentiente; diſtinguuntur tamen quod ille careat circuitu (quia nondum adepta eſt articulorum imbecillitas reducem faciens morbum) hæc verò periodicè recurrat: deinde quod ille plures ſimul articulos, hæc vnum fere articulum affligat, Rheumaticos articulorũ dolores Hippocrates ὀδύνας vel πόνους τῶν ἄρθρων, aut περὶ τὰ ἄρθρα conſueuit appellare, inter-
lib. 2. prorrh. dumque addit οὐ ποδαγρικῷ τρόπῳ; quo ſenſu eos qui in Aeno ex nimio erui eſu eiuſmodi dolores ge-

nuum contraxerant, non ἀρθριτικοὺς vocat, ſed γονυαλγεῖς: ita Eunuchi, mulieres & pueri, in quibus podagræ ἀπορείαν ſiue vacuitatem tribus aphoriſticis ſententiis ratam eſſe voluit Hippocrates, à rheumatiſmo articulorum immunes non ſunt.

ſ. 4. l. 2. Epid.

aph. 28. 29. & 30. ſ. 6.

Porrò ſicuti dantur orgaſmi particulares, ac humore, verbi causâ, intra cranium tumultuante, mox cephalalgiæ, mox conuulſiones, mox deliria per vices conſequuntur, horumque rursùs magna exurgit diuerſitas, provt materia, vt ita loquar, Epidemica, varios cerebri tractus peragrat: Ita nec deſunt ſingulares rheumatiſmi aliquod membrum impetentes, intacto reliquo corpore. Non ita pridem vir ſplenicus quadraginta annos natus, rheumatiſmo brachij ſiniſtri κατ' ἴξιν affecti lienis laborabat;

diri dolores; omnes alternatim particulas inter humerum & extremos digitos ſitas raptim, & quaſi petauricâ iactatione percurrebant, itavt mulierculæ veneficium ſubeſſe ſuſpicarentur.

Rheumatiſmus per ſe ſatis innoteſcit: dolores pro materiæ qualitate modo leuiores inuolant in exteriora membra, modo acutiores itavt ægri à ſubiectis ſtragulis, & inſtratis veſtimentis non impune tangantur, ἐν στρώμασι καὶ ἱματίοισιν ὀδυνώδεες (inquit Hippocrates.) Eò autem crebrior rariorve eſt dolorum alternatio; quò humor propter maiorem minoremve tenuitatem, irrequietior aut tranquillior fuerit: ſitum dolorum quod attinet, hi ſæpe ſæpius ſublimes ſunt, rarenter profundi atque ὀστοκόποι, quoniam materia λεπτομερὴς perioſtio vix ad-

3. prorrh. 16.

hærescit; sed corporis superficiem appetit; pariter ac in febris tertianæ rigoribus ossei cruciatus absunt, qui in horroribus quartanariis ob materiæ in imo delitescentis παχυμερείαν sæuissime torquent: Crebri quandoque ac leuiusculi horrores fatigant; sed ἀπυρέκτως; aut saltem febris quæ assectatur, tepida est, à simplici videlicet efferuescentiâ serosæ plenitudinis, eademque noctu recrudescit, quo tempore ichorosis humoribus, ob symbolas ratione aquosæ substantiæ cum nocte qualitates, datur perturbari. Quod si febris æstuosior emicet, hanc vtique præter rheumatismi genium aliunde accedere indubitatum est: sæpiuscule autem per rheumatismos perfecta notatur integritas à febre, vel quod humor præferuidus sit, sed incorruptus; imputris enim

humorum excrementitiorum φλό-γωσις nullam febrem ſuccendit, vt liquet ex cholerico pathemate, mania ac hypochondriaſi, in quibus omnibus, ſicut in ira, calor augetur, ſed non πυρετωδῶς; vel quod licet humor computruerit, hic tamen à præcordiis procul ad circumferentiam corporis arceatur, naturâ legitimos ſuccos ad vitæ cuſtodiam intùs aſſeruante; vnde ſanguis primis diebus corruptus detrahitur, ſed iteratâ multoties phlebotomiâ, tandem laudabilis effluit, aut ad ſummum ἄκρητος, id eſt orbatus rorulenta ſua humiditate quæ è venoſo genere quaquauersùm in carnes tota ferme diffunditur, niſi forte ea ſit ſeri copia, vt venas repleat, ſimulque in carnes reſtagnet. Quicquid ſit, febres putridæ in continuas ac interpolatas dirimuntur,

muntur, quarum illæ in grandioribus vaſorum ſtipitibus, hæ in partibus aluinis focum ſuum habent: At nullarum minera poſita eſt in corporis habitu; ſic à laſſitudine phlegmonosâ, febris per ſe remota eſt, licet omne muſculoſum, neruoſumque genus ἐπιφλόγισμα perpetiatur.

Rheumatici dolores vt ſede & nocturnâ exacerbatione, ita etiam contumaciâ, cruciamenta venerea æmulantur; Nam plurium menſium, imo etiam annorum ſpatia quandoque ſuperant, cùm ob partium nutritiarum firmatam intemperiem quæ perenni & continuatâ generatione materiam renouat, tùm quod vagabunda ac diſſeminata materia coctiua non ſit; Nam vt ait Hippocrates, ὅσα πεπαίνεσθαι δεῖ, καταχεκλεῖσθαι δεῖ, *quæ maturatio-* p. 23. ſ. 2. l. 6. Epid.

nem postulant, ea occludi conuenit. Si effrænis humor post tot velificationes & circumlationes, in membro aliquo externo tandem sistatur, illud in tumorem attollit, motu spoliat, doloresque stabiles ei infert, prioribus tantò rebelliores, quantò incuneata materia volatili minus est morigera: Notum est illud Hippocratis, ἐν τῇσι παλιμβόλοισιν αἱ μεταβολαὶ ὠφελέουσιν: *In morbis facilè mutabilibus mutationes iuuant.* Lubricus est rheumatismi in arthritin transitus, præsertim si æger peccet in vitæ genere, & articulari tormento aliàs obnoxius vixerit; communis namque est vtriusque morbi materia, ita vt nonnulli rheumatismũ vniuersalis arthritidis nomine donauerint. At internæ ac principales partes ab incursu seditiosi humoris tutæ esse solent, ni tantâ

p. 16. s. 6. l. 6. Epid.

vbertate circumfluat, vt vix vllum ſit membrum; vel externum vel internum quod oberrantis cacochymiæ ictus declinare valeat. Datur rheumatiſmus criticus naturâ ſub finem morborum ἀπόστασιν ſiue ſeceſſionem humoris moliente non κατ' ἔκκρισιν, ob vires materiæ eliminãdæ impares; ſed κατ' ἀπόθεσιν tanquàm excretionis vicariam. Rheumatiſmus vtiliter vrinis, ſed commodiùs ſudoribus ſoluitur; quandoque etiam craſſior huius materia in cutaneas turpitudines vt ſcabiem & phlyctænas egerminat. Tandem venæ eiectam materiam interdum reſorbent, fitque ἀμπωτις illius ſucci, cuius facta fuerat πλημμυρεὶς, ægrique vorſuram ſoluunt propter humoris παλινδρομίην ad incaua corporis ſpatia quę κοιλίας vocat Hipp. in quibus vitæ præſidia locata ſunt.



DISSERTATIO PATHOLOGICA.

DE BOMBIS AVRIVM.

AEr auribus implantatus, isque, si Philosopho fides, ἔμψυχος, sedes ac domicilium τῆς ἀκοῆς non modò purus, verùm etiam immotus esse cupit: si puritas eius inquinetur, vt Nautis, Piscatoribus cæterisque θαλασσουργοῖς, homines efficit surdastros; si turbetur illius tranquillitas: *Fiunt sollicitæ plenæque sonoribus aures*, licet foris omnia taceant.

2. de anim. 8.

Lucret. lib. 6.

Hoc symptoma παρακοὴ, παρά-

ἦχησις & παρήκουσμα Græcis dicitur, Latinis quibuſdam obauditio, ac nonnullis aurium tonitru. Auerroës auditum phantaſticum, id eſt falſum & apparentem appellat. lib. 3. colliget. c. 37.

Super hacce Auerrhoïs ὀνοματολογία notandum eſt mediantibus ſonorum ſimulacris in gremium memoriæ reconditis, delirantem phantaſiam poſſe in medio ſilentio præſentes ſonos temere ſibi imaginari; ſic Theophilus Medicus apud Galenum aulædos in domus angulo adeſſe pro certo affirmabat, die noctéque ſine intermiſſione tibiâ canentes; Talis etiam fuit nobilis ille Argiuus apud Horatium: lib. de differ. ſympt. cap. 3. lib. 2. epiſt. vltim.

Qui ſe credebat miros audire tragædos
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.

Sed monendum eſt quoque ſenſus

externos è contrariò nunquam operari, remotis ſuis obiectis, proindéque auditum in hoc affectu non deprauari circa ſenſibile proprium, quia interni ſoni actu ac poſitiue τὸ ἀκουστήριον afficiunt: At ſolummodò decipi circa ſenſibile commune, ſiue locum iſtorum ſonituum quos audiendi facultas externæ auditioni aſſuefacta, tanquàm exteriores ſentit, licet reuera interiores ſint; itavt tamen erratum iſtud ab interno ac ſuperiore ſenſu corrigatur; ſic oculus in παρεγχύσι, aut præternaturali colore tingitur, aut anathymiaſi ſuffunditur; ſed non cernit κατ' ἀλήθειαν, dum vel *contage ſua palloribus omnia pingit*, colorem quo ipſe inficitur, quaſi exterus eſſet, apprehendens, vel corpuſcula in ſpatio à corneâ ad cryſtalloïden natantia foris ob-

Lucret. lib. 4.

uerſari exiſtimat. Nares quoque ozænicæ, aut ſordidum gerentes polypum, non illuduntur, dum ſibimet ſemper putidulæ ſunt, nec lingua aberrat, fellei ſucci quo fucatur amaritiem guſtans, ſed olfactus guſtuſque corruptio in eo conſiſtit, quod oblata odorabilia vtvt ſuaueolentia, pro fœtidis, & admota ſapida etiam mellitiſſima pro amaris abſurde habeantur. Cæterùm inter horum ſenſuum ludificationes aliquid intereſt: Oculus enim ea quæ intra ſe continentur intueri nequit, niſi viſa extra ſe poſita vnà conſpiciat; clauſis ſiquidem palpebris, ac deficiente lucis adminiculo, viſus occidit; ſed aurium bombi, olidarum narium fœtor, & linguæ amaritudo abſque externo ſono odore ac ſapore percipiuntur. Hicque iterũ obſeruan-

da eſt olfactus guſtuſque ab auditu differentia, ſcilicet quod neque nares in domeſtici pudoris odoratione, neque lingua in amaroris quo imbuta eſt intellectu fallantur, ſuaque hæc interna obiecta, extranea eſſe iudicent, ſiue externi alicuius odoris aut ſaporis aduentu: Contra verò aurium boatus, etiam abſente exteriore ſono, peregrinus putetur.

Suopte ſonitu tintinant aures à flatulentis ſpiritibus aut vaporibus incluſis. Non enim tinnimenta à flatibus fiunt ex anguſtiis aurium, in loci amplitudinem foras exturbatis; quia ſi apponatur tinnulis auribus vel cerei ardentis flammula, vel lanæ medulla, vel plumula mollior, vel goſſypij minutatim carminati flocculus, nequaquàm mouentur, quæ tamen motitari

necesse esset, aurâ quâdam sensibili ex aurium latebris erumpente. Itaque intrà auris internæ cauernulas vétulos coërceri credibilius est, vbi vel sua sponte, vel ab expultrice potentiâ exagitati, congenitum aërem commouent, tympanumque ferientes ipsum inflant ac extrorsum protrudunt; cum ex aduerso soni qui naturæ lege forinsecùs allabuntur, illud introrsum compulsent.

Propter hanc ἀντίκρουσιν sonus internus externi admissionem disturbat; ac licet ille in se paruulus sit, quia parti inest cerebro propinquę, potiorémque audientis animæ vim ad se trahit, velut magnus æstimatur, huncque quamuis paulò fortiorem extenuat. Omne namque αἰσθητήριον debet esse ἄποιον, hoc est denudatum qualitate quàm reci-

pit, ſecùs vt fert effatum vetus, & quaſi in triuiis decantatum, *Intùs*
11. probl. 29. *exiſtens prohibet alienum* : quamobrem obſeruauit Ariſtoteles oſcitantes obtuſiùs audire, quod nempe plurimùm ſpiritus inter oſcitandum exſufflati per canaliculum cartilagineum palato ac ſecundo auris ductui, vbi aër innatus habitat, communem, intrò ad aures perreptet, qui ἀντιπαίει contrauerberat, ac exteriorem ſonum repercutit; vnde oſcitanti non licet aurem
32. probl. 13. inſcalpere, authore eodem Philoſopho, quia auriſcalpium renitentem ac pulſam verſus exteriora membranam perfacile læſerit. Vt nihil dicamus de mugitu intra oris fornicem in oſcitationibus concitato, auditum interturbante; quare attente audituri, vt venatores, ſpiritum cohibent, quoniam, ait

Ariſtoteles: *Efflatio ſtrepitus quidam eſt*; ipſa quoque inſpiratio ſono non caret; ſed hic longe eſt ſubmiſſior quàm in exſpiratione, eò quod aër exſpiratus non modò ob admixta fuliginoſa cordis excrementa, craſſior ſit; ſed etiam in fauces, palatum, cæteraſque oris partes vehementer impingens magis reſonet. 11. probl. 41.

Quanquàm autem ſoni à foris venientes, ab internis aurium rugitibus eludantur; illi tamen ſi magno molimine atque affatim ingruant, interiores ſibilos poſſunt euertere; Nam, vt ſcribit Ariſtoteles: *Aurium ſonitus ſedatur, accito ſtrepitu*, quia ſonus externus inten- 32. probl. 9.
ſiſſimus, internum multò remiſſiorem repellit, ac flatuoſam ſubſtantiam intùs murmurantem per meatum quem ab intima aure ad palati

testudinem protendi dicebamus, vi foras elidit; imo quoque attractis ad aures & vitalibus & animalibus spiritibus, ipsas adeo calefacit, vt conclusos halitus dissipent.

Vapores soniferi vel in labyrintheis aurium conclauibus localem obtinent generationem ex ἀερώσει; humoris præsertim pituitosi eò collecti, à quibus affectus creatur idiopathicus, nullas dans naturæ inducias; tametsi nunc seuerior, nunc indulgentior sit: vel aliunde obrepunt, nimirùm aut à toto corpore, vt in criticis conflictibus, & febrilium paroxysmorum initiis, aut à præcordiis putà liene, vt in melancholiâ hypochondriacâ; vtero, vt in hystericâ passione; ventriculo vt vomentibus, item vino madidis, ac helluonibus ob cruditatem, necnon picrocholis diutinam

inediam expertis accidit; aut deniquè à cerebro mittuntur, tuncque ſonoræ aures, morborum capitis vel imminentium ſunt prænuntiæ, vel iam præſentium indices; ita in lue Venerea ſtrepitant aures: compreſſis quoque naribus canoræ ſunt, aëre quem è cerebro per nares expelli oporteret, negatâ portâ, ad aures delato.

Non deſunt qui inficientur ab humoribus aures perſtrepere, niſi vel mediatè, quatenus πνευματοῦνται, vel per accidens quod itinera obſepiendo, flatuum exitum remorentur; nihilominus tamen quemdam ὑδατισμοῦ ſenſum, ab aquoſo humore intra oſſis pretroſi parietes reciprocante, proximè ac per ſe induci poſſe non videtur improbabile.

A ſexcentis inſuper cauſis ſuſurrant aures; ac primò auris arterio-

la vel à vicini tumoris compreſſione, vel à copioſo atque calidiore quem complectitur ſanguine, validius mota, aërem inſitum iactando, internum ſonitum prouocat; vt in phreniticis atque maniacis. Aurium etiam vlcere haud ritè coaleſcente, nudata eadem arteria euidentiùs micat, non aliter ac emaciatis membris euenit, in quibus nulla caro interiacet obſcurans arteriæ percuſſum. Igitur ſi perennet aurium fremitus cum à materia καπνώδη quæ euanida eſt, oriri nequeat; hunc ab arteriæ auricularíæ vibratiore aſſultu pronaſci ſuſpicio eſſe debet, ἠχέει τὰ ὦτα, inquit Hippocrates, τῶν φλεβίων σφυζόντων καὶ παλλομένων, *ſtrepunt aures venulis*, id eſt arteriolis, *pulſantibus & quaſſatis*.

2. de morb.

Præterea vermiculi αὐτοματιζόμενοι

τῆς φύσεως in introitu auris corneolo geniti, icto tympano ſtrepitum cient. Deinde ſi auris veſtibulum ſit κυψελοβυστὸν, hoc eſt à retentarum ſordicularum coitu occludatur, vel aliis præpediatur obicibus, vt ſuppreſſo ac incraſſato pure, ſanguinis thrombo, tuberculo, lapillis, aut quibuſuis aliis rebus quæ imprudentibus in aurem irrepunt, arcentur quidem τὰ ἀκουστὰ externa; ſed internis, confuſiſque bombis aures inquietantur, perinde ac ſi manu obturaretur auris oſtiolum: vapores enim quorum iugis eſt forâs commeatus, inuento obſtaculo, patiuntur repulſam, ac in cuniculoſo auris alueolo volutati & quaſi διεπίζοντες, muſſantem ſtrepitum edunt. Neque mirum eſt tantam exhalationum copiam ex aurium antris continenter emitti;

Nam ſi per occulta cutis foramina, aſſidua ſit & larga tranſpiratio, quantò profuſiorem διαφόρησιν per patulas aures fieri conſentaneum eſt.

Tandem cauſæ violentæ vt capitis plagæ & horridi fragores aërem connaturalem vltrà modum incitando, aurium clangores excitant; ſed temporarios (niſi forte vapores aut flatus affectum fouentes ad aures depulſi fuerint) quia deſinente cauſarum impetu, aër ille motionis impatiens ex ſe tranquillatur; quo pacto componitur vertigo, ceſſante corporis cyclophoriâ, quæ in vndoſum, vorticoſumque motum ſpiritus animales rotauerat.

His cauſis vulgò adiiciunt cum Galeno ἀκρίβειαν τῆς ἀκουστικῆς αἰσθήσεως. Verùm cum auditum quantumuis acutum, ſonis internis tangi

l. 3. κτ τό-πους.

ſit

ſit ἀδυνάτον, ſi hi nulli ſint, haud ſecùs ac acerrimus viſus, ſincerò extante oculo, mendacibus imagunculis non deluditur. Idcircò quibuſdam viſum fuit vt externus aër erroneis atomis nuſquam expers eſt, etſi prę minutie in radiis ſolaribus ſint tantùm aſpectabiles; ita eumdem aërem quantumlibet placidâ fruatur malaciâ, perpetuâ tamen teneri fluctuatione quanquàm exiguiſſimâ, & quæ nonniſi à valde exquiſitâ audiendi virtute diſcernatur: ſed quamuis compertum eſſet nunquàm dari perfectum aëris fluſtrum, aucta tamen ad ſummum auditus acuties, morboſa dici non debet; ſicut neque oculi præter naturam ſe haberent, etiam poſito quod vagantia per aërem inſectilia corpora, abſque radiorum ſolis illuſtratione poſſent contueri.

Aliis igitur placet à fumis dum è mæandris aurium in cognatum ſibi externum aërem ſine morâ eluctantur, minutulos ſonos naturaliter citari; ſed contrà, fuligines iſtas, ſi libere euolent nec egreſſu intercludantur, inſonas eſſe ſuprà probauimus.

Sunt qui autument connatum aërem, vtpote naturâ ſuâ pertenuem, ac maxime mobilem, à ſpiritu animali appellente, aut perenni cerebri ἄρσει καὶ θέσει, tremulo motu, quamuis leuiſſimo indeſinenter concuti. Verumtamen cum ex naturæ lege cęteri omnes ſenſus nulla ſua obiecta intrà ſe contineant; quę eſſet ratio vnum auditus organum proprio ſenſibili, ſono nempe, naturaliter non deſtitui? Proindéque ne vel minimum quidem murmurillum, auri ſecundùm naturam

ineſſe; ſed aërem ei immerſum planè eſſe ἄψοφον arbitramur; auditus verò acumen agnoſcimus tanquàm cauſam aurium tintinnientium; ſed adiuuantem duntaxat, quatenùs leuiuſculus quiſque ac neglectiſſimus aurium ſonitus ſtatim exauditur: ita oculi exilem quâ offuſcatur nebulam aſpicientis perſpicacitas, cauſa eſt phantaſmatum ſubſidiaria. Sed ſatisfaciendum eſt experientiæ quam Galenus ad ſtabilimen ſuæ opinionis allegauit; Videlicet quemdam aurium tinnitu vexatum poſtquàm auricularibus remediis incidentibus, attenuantibus, ac diſcutientibus perperàm vſus eſſet; etſi apophlegmatiſmis, aliiſque præſidiis toti capiti fuiſſet quoque proſpectum, tandem admixtis narcoticis auditum obtundentibus, ſcilicet mandrago-

loc. citat.

ræ & papaueris ſucco perſanatum eſſe, quia iuxtà ratiocinium Galeni, non à flatibus; ſed ab auditus acritudine affectio procreabatur. Cui experimento reſpondemus ſtupefacientia profuiſſe vel per accidens inducto ſenſus torpore qui omnis moleſtiæ carmen eſt & quaſi faſcinus, vel etiam per ſe repreſſo æſtu vaporum aut humorum in auribus feruentium, à quibus aurium bombos perſæpe oriri liquet.

Oξυηκοΐα autem conſequitur vel ſpirituum ἀκουστικῶν ac potiſſimùm aëris vernaculi ſubtilitatem à calore plerumque profectam, qua prompte impellitur; vel tympani tenuitatem aut eiuſdem ariditatem, ſimiliter ac coria militaribus tympanis inſtrata quò magis tenduntur, eò baculis comploſa altiùs inſonant; vel nerui qui ad aures

fertur rariorem texturam: quandoque etiam hicce neruus ludente naturâ multiplicatur, vt in Cardinale Richelio, qui audiendi excellentiâ ad miraculum donatus, tergeminum vtrinque gestare deprehensus est auditorium neruum. Postremò vis audiendi viget, si spirati aurium loculi à primâ typωsi; aut plus iustò tortuosi sint in quibus proinde, vt in lituis, sonus varia reflexione reboat; aut solitò arctiores, non verò patentiores, vt plerique opinantur, ἀκριβέστεροι γὰρ οἱ λεπτοὶ πόροι, inquit Aristoteles, sic natiua στενοχωρίας, id est pupillæ paruitas visui commodat, & venatici canes, quibus nasus resimatus est, odora vi pollent, captantque discrimina odorum, quos olfactus humanus non attingit: Contrà homo cæterorum animalium est mini-

10. probl. 19.

mè ὀσφρεαντικῶς, ob apertas nimis
10. pro- narium ſemitas, vt legere eſt apud
bl. 19. Ariſtotelem in problematis.
33. pro- bl. 19. Ceſpitauit igitur Auicenna dum
l. 3. fen. 4. tract. in hocce morbo auditus imbecilli-
1. c. 9. tatem criminatus eſt, propterea quod, inquit, languida facultas à ſenſibilibus, etiam puſillis, ſit facilè alterabilis: Nam ſenſus duabus conflatur partibus, alteratione organi ab obiecto, & alterationis huius dignotione, quæ ſenſus eſſentiam conſtituit: Illa inter paſſiones refertur, ad quam debilia corpora forſan paratiora eſſe non negamus: Hæc verò actio eſt, ac idcirco à robuſtiore inſtrumento meliùs obitur; quis, quæſo, hominem lyncæum, auritum, nare ſagacem, guſtu eximium, ac tactu præſtantem, exinde quod minimis ſenſibilibus capiatur, ſenſuum impo-

tentiâ laborare rectè dixerit? Ergo ſi culpanda veniat bomboſarum aurium infirmitas, ea eſt in virtute illarum naturali ſiue coctrice, ob quam vapores flatulentos coacervant, ſiue expulſoriâ quâ eoſdem affluentes non retrudunt.

Sonitantium aurium varietas pendet 1. A viarum latitudine vel anguſtiâ. 2. Ex conſiſtentiâ materiæ plus minuſve craſſioris. 3. Ex illius abundantiâ vel paucitate. 4. Ex ipſius curſu continuo aut interrupto. Vltimò ex eiuſdem celeri vel lentâ alliſione, ſiue ob maiorem vel minorem expulſiuæ facultatis contentionem, ſiue etiam quod materiæ proprio niſu potentiùs aut ſegnius ad elabendum inſiliat. Igitur humoris pituitoſi colliſio ſuſurrum facit aquæ molliter defluentis, aureſque reddit, ſi ita loqui li-

ceat, πολυφλοίσϐους, id eſt vndiſonas: Craſſiores flatus ſpatioſiore loco conuoluti, pleniuſque irrumpentes, bombum edunt grauiuſculum, ſic dictum vel à confuſa colloquentium plurimorum hominum voce, vel à ſono apum, vel à rauco cornuum murmure, vnde fortaſſis Galli vocant, *Cornement d'oreilles*: tenuiores cum impetu duro aurem longiore tinnitu inſtar pulſatæ campanulæ aut crotali euerberant: tenuiſſimi leniter illabentes, clarum acutumque ſibilum, ſerpentum, vel locuſtarum vocis æmulum reddunt, quem συριγμὸν nuncupant, licet hæc nomina plerumque confundantur. Dialecto & βραχυλογίᾳ alter ille Hippocrates Aretæus, perſonantium aurium diuerſitatem his verbis eleganter expreſſit. ὦτα βομϐεῖν ὅκως

ῥεόντων καναχηδὸν ποταμῶν, ἢ οἷς ἄνεμος ἱστίοισιν ἐγκυβερνέῃ, ἢ αὐλῶν, ἢ καὶ συρίγγων ἐνοπὴ, ἢ τρισμοῦ ἁμάξης ἰαχή. *Aures obmurmurant instar delabentium cum strepitu fluminum, aut tanquàm ventus vela gubernans, aut tibiarum fistularumve cantus, aut veluti stridoris,* siue potiùs stridentis, *plaustri sonus.* Imò cum enarratæ causæ multifariàm coniungi possint, earumque gradus sint innumeri; infinitæ quoque sibilarum aurium species exurgunt; & speciatim ex flatuum humorumque coniugio, vt in serpentinis atque flexuosis intestinorum helicibus, sic in anfractibus aurium graues sonitus suscitantur, βορβορυγμοὶ dicti ficto per ὀνοματοποιίαν vocabulo.

1. de caus. & sign. diut. 3.

Aurium bombus importunus est; sed per se indolens, quoniam internæ aurium cameræ ossi petro-

ſo inſculptæ deſtituuntur perioſtio, quod à flatuum copiâ cóprimi, vel ab iiſdem ſub ipſo ſeſe illatebrantibus, à ſubdito oſſe diſparari ac tẽdi queat. Tinnientes aures ſolis, fas ſit ita dicere, ἐνωτιμύθοις conſciæ ſunt; ac iuxta Hippocraticam prognωſin, in morbis acutis ἀναδρομὴν materiæ ad cerebrum denunciant, quæ ſi per hęmorrhagiam ἀναγωγὴν habeat, bonum; alioquin vel delirium, vel etiam lethum intentat. In febribus præcipue peſtiferis, repleto cerebro, aures ſæpenumerò obſtrepere experimento ratum eſt. Crepitantes aures vt apoplexiam, epilepſiam, cæteroſque comatoſos cerebri morbos præcurrunt, ſic in eorum decremento fauſti ſunt ominis; cerebri namque ſeſe explicantis, ac humores, quibus inebriabatur in flatus attenuantis, trium-

phum denotant : *Lethargici mentis compotes facti de ceruicis dolore, sonisque aures raptim peruadentibus conqueruntur.* Echo siue aër resonus diu ac perpetim aures offendens rarò curatur; sed sæpicule surditatis est præludium : fit enim ab humore in auribus congesto, cuius quantitas sensim augetur, donec penitùs exsurdet. Conualescentibus ac post immoderatas vacuationes vt oculi vertigine tentantur, ita aures bombilare solent : nam membra sensibus dicata à morbis ἀπειρίτατα id est defœcata, ac proinde εὐαίσθητα interdum relinquuntur; deinde exhaustæ partes ob caloris paupertatem, & locorum vacuitatem, flatus permultos accumulant. *Absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se, receptum est,* inquit Plinius; itavt qui laudatur

Hipp. in Coac.

lib. 28. cap. 2.

abſens, ei auris dextra muſſitet, qui vituperatur, ſiniſtra.

Garrula, quid totis reſonas mihi
noctibus auris,
Neſcio quem dicis, nunc meminiſ-
ſe mei.

Sed iſta medica non ſunt, imò potius fabuloſa, ac ſuperſtitioſa; itaque manum de tabulâ.





DISSERTATIO PATHOLOGICA.

DE CATALEPSI.

AVthor definitionum Medicarum, Aëtius Amidenus, & Paulus Ægineta, multam huic morbo obſcuritatem attulêre. Ille enim Catochum vocat, cum ſenſu priuatur anima & corpus omne obrigeſcit; triáque eius conſtituit genera, ſomniculoſum lethargo finitimum, vigilans cui ſociatur tetanus, ac vteri præfocatio, & phreniticum ex mixtione catochi atque phrenitidis. Aëtius Cato- cap. 12.

cap. 4. serm. 2. tetrab. 2. chen & Catalepsin appellat Mediam affectionem inter phrenitidem & lethargum, quæ delirij species est, & ab humore melancholico sæpius creatur, quandoque etiam à sanguinis multitudine confertim caput adimplente. c. 6. & 10. l. 3. Paulus denique Catochum interdum vsurpat pro ægritudine phrenitidem lethargumque interiacente; interdum autem pro legitima catalepsi; quæ homonymia recentiores multos ac ipsummet Fernelium decepit, lib. 5. pathol. cap. 2. dum Catochum comatis vigilantis nomine vocitans, hunc oriri censet vbi pituita bilisque flaua simul permixtæ in cerebro immoderatiùs exuperant.

Etsi vocabulum catalepseως apud Hippocratem sit πολυσήμαντον; nunquàm tamen sumitur pro affectu de quo nunc agimus; quippe qui

ab ipſo Catochus vel Catoche conſtanter vocetur. Author definitionum Medicarum Catochen latiſſime extendit apoplexiam definiens per κατοχὴν τῆς διανοίας, quo etiam ſenſu numine afflati ἐκ θεοῦ κάτοχοι indigitantur, & Aëtius ἄρθρων κατοχὰς dixit de articulis ſtupore prehenſis. Galenus τὰ κατοχὰ interpretatur τὰ τὴν κατοχὴν ἐπιφέροντα, paſſiones catochen inducentes; à quibuſdam verò explicari ſcribit τὰ βεβαίως ἱδρυμένα καὶ οἷον κατεχόμενα νοσήματα, morbos firmos & radicitùs hærentes. Hæcque acceptio familiaris eſt Hippocrati apud quem κατόχως ὀδυνώδεες illi ſunt qui diuturno conflictantur dolore (quæ enim catochi ἀναισθησίαν neceſſariò inferentis poteſt eſſe cum dolore communio ?) & κατόχως παρακρούοντες qui delirio tenentur contumaci :

loc. cit.

lib. 12. c. 42.

2. prorrh. 6.

In Coac. & prorrh.

catoche namque correptos vel opere, vel verbo, vel cogitatione desipere est plane ἀδιώατον; opere non delirant quia immobiles sunt; non etiam verbo vtpote ἄφωνοι; nec tandem cogitatione ob functionum principum labefactationem, authore siquidem Galeno Catochus est παράλυσις τῆς φανταστικῆς, ideóque alibi idem Galenus Catochum cum desipientiâ non pugnare docens, per catochum intelligit vel ἀγρυπνοῦν κῶμα cum plerisque Veterum, vel catalepsin quidem, sed inchoatam in qua vis imaginatrix nondum abolita est.

lib de sympt caus. c. 3.

2. prorrh. 56.

Hîc Catalepsis, Catochus & Catoche voces sunt synonimæ affectum significantes per quem æger sensibus cùm externis tùm internis voce atque motu repente captus, in eâdem corporis figurâ quæ ante pathe-

pathematis insultum fuerat, cum palpebrarum inconniuentiâ, oculis in conum stabilem fixis, ac inflexibili membrorum rigiditate ceu conspectâ Gorgone permanet. Stupendus sane morbus qui propriè nec sopor, est nec vigilia, etsi ex vtroque compositus, & peruigil quædam dormitatio, aut soporatum peruigilium appareat. Nam quemadmodum lepores sunt δερκευνεῖς, & Corybantes Iouis infantis in Cretâ custodes adapertis palpebris dormiisse finguntur; sic Catalepticj ὕπνῳ pressi ἀΰπνῳ, sub vigilantiũ specie patẽtibus oculis velut obdormiscunt, & ἀσκαρδαμύκτως inspicere videntur, adeò vt ne ad minas quidem nictent. Aretæus defixas palpebras βλέφαρα οὐκ ἐπίμυχα appellauit: Intrepida verò oculorum statio πῆξις τῶν ὀφθαλμῶν, & l. de caus. & sign. diut. 7.

in Co-ac. prorrh. & 5. Epid. 2. Noct. Attic. 1.

ὀφθαλμὸς κατάπληξ Hippocrati dicitur.

Iſtius morbi ideam imitabatur Socrates, dum, referente A. Gellio, ſeſe exercens in veſtigiis patientiæ perdius atque pernox ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον, ab altero ſolis ortu ad alterum orientem cogitabundus, ἀτενίζων & immobilis perſtabat; ita vulgus τοὺς κατόχους vocat ἐκστατικοὺς, veluti raptos, & altioribus mentis ſpeculationibus occupatos.

Catalepſis vel eſt grauiſſima qualem deſcripſimus in qua præter reſpirationem nulla lucet vis animalitatis, vel leuior quæ non omnes operationes animales, aut non penitùs deſtruit: ſic nonnunquàm virtus motrix haud ita concidit, quin ægri ab aliquo impulſi inſtar ſtatuæ arte progredientis ambulent, & quocumque illorum

membra inflectuntur in eadem positione consistant. Aliis non tam infixa est atque rigida luminum intentio, quin versiles sint oculi, manumque obtentam ac circummotam suo obtutu sequantur. Quidam nec auditum, nec visum integre extinctum, neque cerebri potentias omninò consopitas habent; talem Catochen in suo condiscipulo obseruauit Galenus, qui cum assiduo disciplinarum studio sese fatigaret instar ligni prorsùs inflexus, durus & extentùs sine voce & motu iacebat, reclusis nec conniuentibus oculis astantes intuebatur, loquentesque obtuse audiebat, adeò vt à passione liber, actiones quorumdam recordatus enarraret: ita quoque Hippocrates Catochum, anxietati, conuulsioni, & tremori connectens, de mitiore

2. prorrh. 56.

3. prorrh. 67.

Catocho exponendus venit, in quo vis motrix non funditùs euertitur; secùs enim consummatę Catoches motum ex toto auferentis nullum consortium cum istis symptomatis potest intercedere; nisi quis Catochum pro Cωmate vigili ab Hippocrate loco allegato acceptum contendat.

De causis Catalepseωs discordes sunt Medici. Quidam existimant effusis per nimias, intentasque meditationes spiritibus animalibus in propagines cerebri, neruos videlicet sensorios atque motorios, si spiritus mox remeent, homines velut attonitos nonnihil stupere, statimque ad se reuerti; verùm si iste spirituum effluxus diutiùs perseueret, Catochum subsequi, sensibus internis propter spirituum in cerebro inopiam à suo munere ces-

ſantibus; motu autem haud deperdito ob neruos ſpiritibus animalibus non defraudatos; ſed duntaxat deprauato quod ægri priſtinum ſeruent σχηματισμόν, ac provt amplior aut parcior eſt illa ſpirituum expanſio, ſic plures vel pauciores functiones, & quidem magis minuſve oblædi autumant: cui opinioni patrocinari aiunt Hippocratis Aphoriſmum, *à capitis plagâ* 7. aph. 14.
ἔκπληξις, *malum*, ſpiritibus nempe animalibus in organa ſenſus atque motus percuſſionis impetu propulſis. At falluntur huius ſententiæ aſſertores, dum per ingentes, longaſque mentis actiones, ſpiritus animales è cerebro in neruos diffundi putant, cum è contrariò hi è neruis ad cerebrum, ad ferendas principio ſuo ſuppetias intrò condantur: citatus verò Aphoriſmus

minimè conuenit Catalepſi, quam capitis ictu progigni nunquàm compertum eſt; ſed cataphoræ caroticæ competit, ſpiritibus nouâ ſubitâque iniuriâ velut in pauore conſtipatis, & in anguſta præſidia ſeſe recipientibus.

Alij propter rigorem neruorum, Catochen cum tetano male confundunt; hunc enim atrociſſimi cruciatus aſſectantur abſque facultatum ἡγεμονικῶν iactura; ab illâ verò abſunt dolores, & ratio ſenſuſque pereunt: deinde in quadam catochi ſpecie membra ſunt flexilia, quæ in omni tetanica conuulſione ad inſtar ſtipitum flecti neſciunt.

Non paucis ratum eſt Catalepſin fieri à materiâ replente partim tunicam neruos circumueſtientem vnde conuulſio; partim medullam

eorum interiorem, vnde reſolutio naſcitur; itavt Catochus ſit proles biformis, & quaſi hybrida diſparibus cauſis prognata, ſpaſmo nimirùm & paralyſi; ac illum quidem ex tenſione, hanc ex flexibilitate artuum coniiciunt. Sed primò non omnium Catalepticorum membra ſequacia ſunt; deinde an paralyſeωs & & conuulſionis connubium poſſibile ſit, non liquet; poſtremò Catalepſis mentem prodigit, quod à paralyſi & conuulſione neruorum per ſe alienum eſt, ac idcirco probabilius forſan, licet non verè, hicce morbus ex Epilepſia & Caro conflatus diceretur.

Nos itaque ſpirituum animalium in cerebro ac neruis congelationem, tanquàm immediatam Catochi cauſam agnoſcimus. Cum enim ſpiritus ex tenuiſſimâ ſangui-

nis portione conficiantur, vel forſan nihil aliud ſint quàm ipſa ſanguinis pars ſubtiliſſima, & maximè volatilis, profectò parentis ſui mores non adeò exuunt, quin gelabiles relinquantur: verum quemadmodum ob igneam naturam ſunt δύσσηπτοι, ſed non penitùs immunes à putredine, vt patet ex Ephemeris peſtilentibus: ita ſubſtantiæ exilitas, ipſos quidem facit δυσπήκτους, ſed à concretione prorsùs non vindicat.

Sunt qui arbitrentur ſpiritus animales ſenſibus exterioribus motuique voluntario inſeruientes in Catalepſi non coagulari; ſed eos tantùm qui ſenſibus internis miniſtrant, itavt externi ſenſus ſuis ferientur obiectis; ſed torpida phantaſia quæ ſuperior eſt facultas, res ab ipſis apprehenſas & ad ſe delatas

non animaduertat; eodemque modo motus per accidens lædatur, quatenùs ab ignaua imaginatiua non dirigitur: perinde ſcilicet ægris contingere affirmant, ac illis quorum animus à profundis contemplationibus adeò diſtrahitur, vt neque externa ſenſibilia comprehendat, neque motum imperet; hincque rationem petunt; Cur licet ægri nequeant porrectas partes ſua ſponte recolligere, vel conductas explicare, tamen vbi membra pelluntur, mouendi potentia ſeſe exerat, & in quocumque ponantur ſtatu perſiſtant.

Verumtamen hæc doctrina à veritate plurimum aberrat; primò enim ſi ſpiritus animales in ſuo fonte nempe in cerebro incraſſati ſubſiſterent, illi haud dubie qui motus ſenſuſque inſtrumenta irradiant, &

conſiſtentiam ſuam labilem ac diffluentem ſupponuntur retinere, nullâ morâ diſſoluerentur ob neceſſariam perennitatem τῆς ἐπιῤῥοῆς, ſicque ſopor, non autem Catalepſis generaretur: Nam quamuis occluſâ arteriâ ſpiritus vitalis, obſtructionis locum præteruectus non illico diſcutiatur; alia tamen eſt conditio ſpirituum animalium qui ſicut ætherei & vitalibus longè defæcatiores, ita quoque magis euanidi ſunt, ac tam perniciter auolant, vt nouàs copias iugiter ſuppeditari opus ſit. Proindéque credibilius eſt animales ſpiritus in neruis, non minùs quàm in cerebro ſpiſſeſcere, nec ideo diſperdi. Secundo Catochorum immobilitas ſtupefactæ phantaſiæ falso tribuitur: nam commemoratus Galeni condiſcipulus abſque imaginationis ruinâ, omni

motu ſpoliabatur. Poſtremo non omnium κατεχομένων membra externis impulſoribus obſequuntur; ſed plurimi ægrotantes truncorum modo ſunt σκληροσώματοι.

De causâ antecedente Catochi non minus eſt quàm de coniunctâ inter Authores diſſidium. Fernelius qui, vt ſuprà notabamus, Catalepſin à cωmate vigili non diſtinxit, illius originem retulit ad bilis atque pituitæ in cerebro περίασωσιν. Verum iſti duo affectus & naturâ & cauſis plurimùm differunt.

Qui hunc morbum ex conuulſione & paralyſi conſtare opinantur, illum cuiuſcumque humoris aut vaporis ſobolem eſſe credunt, itavt ægritudines toto cœlo diuerſas, putà cerebri abſceſſus, carum, phrenitidem, cauſum, πάθος hyſtericum, inteſtinorum lumbricos vel

comitetur vel consequatur; atque etiam in eodem ægro crebra soporis, Catoches, epilepsiæ & conuulsionis vicissitudo non raro visa sit.

Nonnulli Catalepsin fieri tradiderunt à sanguine numerosas meningum venas & arterias affatim opplente; quia autem hæc affectio non venarum est, sed cerebri ac neruorum, aiunt natiuum cerebri calorem, negatâ ob plenitudinem ventilatione, strangulari, cerebroque refrigescente, spiritus animales gelidos reddi; vnde iuuenis ille apud Aëtium obortâ liberali hæmorrhagiâ à Carocho liberatus est. Sed particularis vasorum capitis plethora, carum quidem, at nullo pacto Catalepsin procreare apta est, quod priuatiuo frigori siccitas ad Catochum requisita non adiun-

gatur. Deinde ſi recte probauimus ſpiritus animales non ſolùm in cerebro; ſed etiam in neruis omnibus conſpiſſari, quomodo repletio venarum cerebri, ſpiritus animales qui neruos à cerebro diſſitos irrigant, ſuffocabit ac refrigerabit? Quod ſi quandoque hocce malum ſanguinis per nares eruptione iudicetur, ſanguis iſte ſincerus non eſt; ſed aliis ſuccis præſertim melancholicis commixtus; ſic cauſi ἰατρεῖον in adoleſcentibus eſt fluxus ſanguinis è naribus, ſanguinis nempe bilis vbertate referti, quippe quæ febris ardentis genitrix ſit. Natura enim ad criticam hæmorrhagiam ſeſe accingens, humorum duntaxat vitioſorum expulſionem intendit; verùm propoſitum ſibi ſcopum aſſequi non poteſt, quin aliquid ſanguinis etiam optimi per

apertas venas ſimul effundat.

Frequentior ergo Catochi cauſa eſt humor melancholicus frigiditatem atque ſiccitatem ſolitò potentiorem adeptus; quandóque etiam licet rariùs pituitoſus: pituita tamen nequaquàm humida λύσιν non τάσιν neruis concilians, verum frigidiſſima ac nonnihil reſiccata, cuiuſmodi eſt vitrea vel albuginea: ita ſcirrhus, tumor alioquin melancholicus, à pituitâ ſuperexſiccatâ non infrequenter gignitur. Rectè
2. aph. 3. itaque Galenus: Valida, inquit, cerebri frigiditas, cœtu & conciliatu humiditatis, lethargum; coïtione concurſuque ſiccitatis, Catalepſin efficit.

Dubitatur an frigus ἄϋλον hanc calamitatem valeat procreare. Certe ſi morbus fiat à cauſis internis, humor ſemper aſſociatur, ſecùs pa-

roxyſmorum inuaſio atque ſolutio non eſſet ſubitanea, quia intemperantia immaterialis ac potiſſimùm ſicca, nonniſi multo tempore introduci vel depelli poteſt. Verùm ſumma frigiditas forinſecùs ingruens, etſi nuda atque ſimplex, vt vehementiſſimus algor eorum qui per niues itinerantur, ſat eſt ad huius ægritudinis productionem: cum enim cauſæ procatarcticæ internas actiuitate plurimùm ſuperent, breuiſſimè partes immutant, pariterque ſemotis iiſdem cauſis externis, membra alterata arreptitias qualitates radicali temperamento promptè excutiunt: Si autem ſpiritus animales ſaluis neruis gelaſcant, ad extranei motoris nutum ducuntur membra, ſtantque in collocato ſitu: ſi verò ipſæmet partes neruoſæ à ſiccitate indurentur, tunc partes

rigent quaſi ſaxeæ vel gelicidio compactæ, nec corpus magis mouetur,

6. Æneid. *Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

Placet nonnullis poſticam cerebri partẽ in Catocho laborare; aliis autem anticam, propter caſum imaginatiuæ potentiæ; quàm ibi reſidêre aſſerunt. Nos verò vniuerſam cerebri machinam morbo detentam iudicamus; ſed præcipue eius puppim è qua ſpinalis medullæ truncus, neruorumque rami fruticant. Si quis porrò à materiâ Catalepticâ cerebrum ſimul cum miniſtris ſpiritibus non modo intemperie affici; ſed poſteriorem prætereà eius regionem, humoris mole obturari acriter inſtet, ille ſolidis rationibus vix poterit conuinci: Non enim rite concluderetur Carum inde

naſci-

nasciturum esse ob interceptum viarum infarctu, spirituum animalium cerebrum perfundentium & eorum qui per neruos distribuuntur, commercium: quia quamuis spiritus animales propter miram fluxilitatem, instar radiorum solarium obstaculi interpositione, momento quolibet ocyus euanescere consueuerint; nihilominus in Catocho spiritus per neruos transuecti, propter acquisitam spissitudinem in auras non abeunt, etiamsi interrupta sit eorum cum cerebro continuitas: sic insecta mouentur amputato capite, quoniam spiritus ob naturalem crassitiem minus fragiles sunt, tardiúsque dissipantur.

Vt nihil indiscussum omittamus, difficultates quædam nobis incumbunt enucleandæ. Prima quomo-

do tanta reperiatur in viuo corpore frigiditas, quæ inſtar brumalis frigoris ſpiritus animales conglaciet. Secunda. Cur inſignis illa neruorum ſiccitas conuulſionem immedicabilem non cieat. Tertia denique quare omnes melancholici non ſint Cataleptici.

Ad primam reſpondemus, Galeno teſte, pituitam vitream actu frigidam aceruari in humanis corporibus, ac vitales quidem ſpiritus, proximos vitæ authores ab illa non poſſe glaciari, homine ſuperſtite; contra quam animales qui ad vitam nihil proſunt, niſi quatenùs ſpirationi famulantur; quamobrem in Catocho puſilla ſpirituum animalium portio illæſa ſeruatur ad moliendam reſpirationem, quam natura ſolers corporis œconoma incolumem tueri totis

2. de loc. affect. 5.

viribus enititur. Imo cum ſpiritus animales nequeant eſſe ἀεικίνητοι, niſi feruentiſſimi extiterint, ad horum gelationem; ſiue ad ſiſtendam eorum volatilitatem ſufficit remiſſus calor qui intenſioris comparatione, frigiditatis nomine donari ſolet: Eóque ſenſu partes in calidas & frigidas, id eſt minus calentes dirimuntur; plumbum ab igne remotum cogi dicitur à frigore; etſi adurat tangentes; & anathymiaſes ſomniferæ cerebri frigiditate denſantur; quanquàm, Galeno iudice, cerebrum quouis aëre æſtiuo calidius ſit; ſic Hippocrates rigorem concitari docet, vbi bilis (quam ſanguine frigidiorem ſtatuit, nempe habitâ ratione caloris natiui) ſed potiſſimùm pituita ſanguini commixta ipſum congelant: *Non tamen*, inquit, *omnino, neque enim*

8. de vſ. part. 2.

1. de morb.

viuere posset homo, si sanguis densior & frigidior seipso multis modis euaderet.

Ad secundum dubium dicimus siccitatem ex humorum concretione non esse conuulsificam, quod neruorum longitudinem vel parùm vel nihil minuat; sed eam modo quę fit ab humiditatis exhaustu; idque innuit Hippocrates non simpliciter à siccitate, verum ab inanitione conuulsionem oriri pronuncians. 6 Aph. 39.

Tertio demùm quæsito satisfacere arduum non est: Nam humor ater Catochen non parit, nisi impense algidus fuerit atque siccus; alioquin non tam spirituum animalium temperiem primis suis qualitatibus corrumpit, quàm opacâ suâ nigritie vernaculum eorum splendorem offuscat, vt in deliriis melancholicis.

Causæ Catochi euidentes ſunt acre cœli frigus, vt experiuntur qui hyeme per niues iter agunt: aqua prægelida vel capiti occurſans, vel confertim epota præcipue ab homine æſtuante & ieiuno, quia patefactis à caliditate partium ſpiraculis, frigus ſeſe penitiùs inſinuat, quo pacto aqua feruens citiùs gelu ſtringitur quàm frigida: perpes inſomnia: curæ: ſtudiorum nimia aſſiduitas: graues mœſtitudines, ac cætera quæ vim animalem infirmant, cerebrùm neruoſque exarefaciunt, & nigram bilem congerunt. Prætermittimus narcotica; etſi enim ſpiritus animales ſegnes immotóſque præſtent; attamen propter ſociam humiditatem neruoſum genus molliunt potiùs quàm ſiccant, ſicque ſoporem, non verò Catalepſin accerſunt.

Neoterici Catalepſeωs cauſis annumerant vaporem quemdam, vt loquuntur, fixatiuum ſpiritus animales inſpiſſantem: quæ concretio alterius ſit generis, quàm vulgaris illa à frigore oriunda, ſic à fulmine vinum in dolio ſæpe congelaſcit, ſic aliquot meſſores dum ſub quercu cœnarent, de cœlo tactos ſub ea ſpecie qua decumbebant, exanimatos fuiſſe ſcribunt, ita vt alius manum patinæ admouere, alius comedere, alius poculum dextrâ tenere, alius bibere, alius aliud agere putaretur. Talis eſt vis ſpirituum illorum qui in terræ motibus, & aliàs quoque è terræ cauernis erumpentes, homines & bruta quaſi in marmoreas effigies derepente conuerterunt. Mirandam iſtam figendi virtutem in nitro, plurimíſque aliis mineralibus

& metallis ſpagyrici detexêre ; ac fortaſſis excrementum melancholicum ſpiritus animales non tam ſuo frigore condenſat, quàm propria aciditate, qua ſanguini θρόμβωσιν, vt coagulum lacti τύρωσιν confert.

Catalepſis vel eſt idiopathica vel per conſenſum ſeu totius corporis, vt in febribus quibuſdam malignis, ſeu partis alicuius, putà, lienis, ſuperioris orificij, ventriculi, vt vult Galenus, ac inteſtinorum lumbricis ſcatentium. Notandum autem ſympathicam Catochen eſſe rariſſimam, hancque à ſalina ac πηκτικῆ, iuxta doctrinam Chymicorum, potiùs quàm à frigidâ exſpiratione prodire. Quî enim in febribus glacialis vapor ad cerebrum eleuaretur ? vel aluus verminoſa quæ non vitreâ ac frigidiſſimâ, ſed

1. de ſympt. cauſ. 7.

dulci & tepidâ pituitâ reſtagnat, algentem fumum exhalabit?

Signa Catalepſeως ex allatis clare innoteſcunt, quibus ſolummodò adiiciemus faciem ſanæ ſimilem eſſe, vel paulò coloratiorem; pulſum ac reſpirationem non immutari, niſi hæc magna ſit atque rara, ob ſepultæ mentis inconſiderantiam; fæces quoque & vrinam ſiſti non percepto propter ſopitam facultatem pungentium excrementorum ſtimulo: præstereà Catochis, ait Galenus, tenſi ſunt & aperti oculi, non vt comatoſis & cataphoricis clauſi; in his enim humiditas neruos effœminat, in illis verò ſiccitas neruos contendit. Quibus verbis etſi impalpebratio, vt loquitur Aurelianus, tanquàm ſignum Catoches ἀχώειςον commendetur; obſeruatu tamen dignum eſt, ſi

2. pror-rh. 56.

æger dormiens, vel quocumque modo palpebras committens, ſubitariâ raptetur Catalepſi, ſuperciliosas non eſſe palpebras, ſed occluſas, ægro eamdem poſituram conſeruante quæ immediate aderat ante ægritudinis aduentum.

Catalepſis ita inſolens eſt vt à ſenioribus Medicis in populoſa ciuitate Medicinã facientibus perrarò occurrerit. Morbus autẽ eſt acutus ſaltem ratione acceſſionis, quæ intra tres aut quatuor ad ſummum dies, vel attritis viribus, vel ſublatâ, per abſolutam motus priuationem, ſpirandi opportunitate, iugulat: quandoque etiam fit μετάστασις in epilepſiam, apoplexiam vel melancholiam, ac in genere pauciſſimi reſtituuntur.



DISSERTATIO PATHOLOGICA. DE INCVBO.

DE Incubo altum in Hippocrateis & Galenicis monumentis ſilentium: Nam pauores in ſomno quos in infantulis νεογνοῖς obſeruat Hippocrates, & φοβεραὶ φαντασίαι quarum meminit Galenus, ab hacce ægritudine δὶς διὰ πασῶν diſcrepant.

3. aph. 24. comm. in hunc locum.

Incubus vel Incubo Latinis dicitur ab incubando, propter oneris velut incumbentis ſenſum: Græcis ἐφιάλτης, ſicut Pæonia ἐφιαλτία

quod ei medeatur. Sunt qui hanc passionem habito magnitudinis respectu, & Ephialtem Gigantem Neptuni filium cognomines esse autument, pariter ac Elephantiasis & Epilepsia nuncupantur morbi Herculei vtpote δυσκαταμάχητοι: sed probabilius est Ephialtem vocari quasi insultorem ἀπὸ τοῦ ἐφάλλεσθαι, quia turpissimæ libidinis vsum sibi exigi, vel se ab aliquo inuadi ægrotans imaginatur; quapropter nonnulli ἐπιβολὴν siue incursionem appellauêre. A Themisone apud l.3.c.15. Æginetam πνιγαλίων siue suffocator hic morbus nominatus est, ob insignem anhelitus laborem; ac Plinius suppressiones nocturnas lib. 27. c. 10. dixit.

Placet Theologis Dæmones sese in hominem induentes, falsâ Venere mortalibus illudere, itavt illi

ſint ſuccubi qui muliebria patientes viris ſeſe ſubiiciunt; ij verò Incubi qui mulieribus commiſcentur.

Verùm Medicis Incubus eſt, nocturna ſpirandi difficultas, abſurdâ ſuperiniectæ molis opinione ſomniantem deludens.

Pullata ex triuio turba ab Empuſis, lemuribus atque laruis triſtia iſta viſa ſoporatis immitti ſto-
l. 25. c. 4. lide ſuſpicatur, ac ipſe Plinius Faunorum in quiete ludibria vocitauit: ſic Panici terrores dicebantur quaſi à Pane Deo inducti, quem ceu inopinatarum conſternationum authorem Gentilitas agnoſcebat; ſed ἐνόχλησιν cuius cauſæ naturales ſunt in propatulo inter Dæmonopathias recenſere ſuperſtitioſum nobis videtur atque ἀφιλόσοφον.

Dicamus itaque Incubi eſſen-

tiam in duobus potiſſimùm conſiſtere, nempe reſpirandi anxietate, & graui inanique inſomnio: dum enim per ſomnum, ſenſus tactus in thorace dyſpnœæ moleſtiam obtuſe perſentiſcit, imaginatio tunc quoque torpida, nec veram preſſi anhelitus rationem internoſcens,

Et vnde Lucret. lib. 3.
Tanta mali tanquàm moles in pectore conſtet.

Hoſtilem imò Dęmoniacum inſultum, vel ſaltem externum pondus prægrauans comminiſcitur, & quidem duplici de causâ: primùm quod ſicut per aërem caliginoſum viſibilia ſeipſis maiora cernuntur; ita in inſomniis cerebro opacâ anathymiaſi obnubilato, obiecta parua velut magna conſueſcant apprehendi; vt patet vel illius exemplo apud Galenum qui inter dormien- lib. de præſag. ex inſomn.

dum factus altero crure paralyticus, crus lapideum ſe geſtare ſomniabat. Secundò quod perturbata imaginatio concipiat quæ intùs deliteſcunt, perinde ac ſi foris locata eſſent; phrenitici namque quibus cryſtallinum humorem inter & ceratoëidem tunicam, aduſtæ fuligines obuoluuntur, ſolent καρφολογεῖν καὶ κροκιδίζειν; & inſani quibus flatuoſus ſpiritus intra aurium mæandros coërcitus perſtrepit, tubicines ſe audire φαντασιοῦνται, vt de Theophilo Medico narrat Galenus: quibus duabus cauſis accedit auræ ἐς νοερὸν τόπον elatæ conditio vt plurimùm melancholica, μορμολυκεῖα ſiue terriculamenta quædam animæ prætendens.

lib. de differ. ſympt. cap. 3.

Igitur Ephialticus importuno putatæ grauitatis thoracem præfocantis ſenſu, aut vano irruentis ad-

uerſarij phantaſmate perterritus, ad clamorem, fruſtrante vocem imbecillitate, irrito conatu enititur; vel ſaltem inarticulatè & ſubmiſſe, ideòque ἀσημάντως quiritatur, ac interim rem opprimentem manibus amoliri, atque etiam ſurgere ad fugiendum hoſtem, totis quidem viribus; ſed ob captam vim motricem incaſſum contendit; donec incubi causâ poſt longam & arduam luctam ſuperatâ, tandem euigilet: quodque mirum, violantur animales omnes potentiæ; nam ſeducitur τὸ φανταστικὸν, ſenſus hebeſcit, motus acciſus eſt, vox faucibus hæret, vna memoria perſtans incolumis, fugato paroxyſmo, prægreſſarum ærumnarum exacte recordatur. Incubum his verſibus graphice depinxit Poëta, 12. Æneid.

Ac veluti in somnis, oculos vbi languida pressit
Nocte quies, nequicquam auidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.

Facultates animales in Incubo offenduntur, vel à ſucco aut halitu denſiore, cerebri baſim, à qua ſeptem neruorum coniugationes, ſpinaliſque medullæ truncus enaſcuntur, obſtruente; vnde illiberalis ſuccedit τῶν ἐνορμώντων ἐπιῤῥοὴ: vel etiam à narcoticâ qualitate, abſque vllis viarum obicibus, ſpiritus animales quodammodo vincienre, ac ex impigris & indeſidibus, inertes ſegneſque reddente.

Suſpi-

Suſpirioſa verò reſpiratio ſequitur compreſſionem partium thoracicarum ac præcipuè diaphragmatis, ab humoribus aut vaporibus copioſis atque craſſis, ſeu inferne euectis, ſeu per ſe intrà vaſa ſtabulantibus.

Neutra porrò iſtarum noxarum videlicet cerebri atque pectoris, ſeorſim ſufficit creando Ephialti; ſed ambas combinari opus eſt, & quaſi conferruminari: Nam ductuum cerebri obturatio in incubo minùs completa eſt, aut ſpirituum animalium ναρκωσις minùs eximia, quàm vt ſpiratui officere queat, cum ipſimet carotici pro voto aërem ducant, licet in Caro longe pleniùs quàm in Incubo cerebrum contingat offerciri: Carus ſiquidem eſt cataphora δυσδιέγερτος integram animalitatis ruinam afferens,

seruata cæteroquin spirandi libertate: Incubus contrà, non est admodum δύσλυτος, nec principatum animalem penitus labefactat, cum phantasia somniet, voxque saltem tenuis ac subsurda elidatur; & tamen laboriosa editur respiratio, quam proinde non cerebri contagione, sed ab inferâ causâ præpediri meritò iudicamus.

At nec vicissim septi transuersi, aliorumve instrumentorum ἀναπνευστικῶν constrictio ephialtem potis est inuehere, nisi cerebro coaffecto, vis animalis in neruos exilire prohibeatur, 1. quia vnà cum respiratione & voce, vniuersi corporis motus, & eapropter commune mouendi principium oblæditur. 2. quoniam incubus perniciosorum cerebri affectuum, vt apoplexiæ & epilepsiæ est πρόδρομος. Tandem

quod Ephialtici ſat ægre expergiſcantur, excitati verò necdum penitùs diſcuſsâ capitis plenitudine in errore τῦ φάσματος aliquamdiu perſeuerent, vti mox dicetur. Concludamus ergo incubum eſſe velut monſtrum δίκρανον, ſeu mixtum πάθημα è pectoris coniunctim & cerebri memoratâ inualetudine.

Laborat cerebrum vel idiopathicῶs à materiâ craſsâ & pituitosâ in ipſo coaceruatâ, dummodò huic primario cerebri malo organorum ſpirabilium ab aliâ causâ coarctatio eodem tempore conſocietur; vel ſympathicῶs, vbi eiuſdem aluinæ exſpirationis quædam portio morans circa diaphragma ipſum vexat, altera autem ſublimiùs conſcendens opplet neruorum origines.

Cauſam incubonis antecedentem quod ſpectat: bilis tenuior eſt,

nec propter acredinem quâ naturam indeſinenter proritat, in ea copia poteſt congeri, vt thoracis πνῖξιν, cerebrique ἔμφραξιν, præſtet. At eâ demptâ quilibet alius humor ciendo incubo paratus eſt. 1. phlegmaticæ immunditiei in prima corporis regione turgeſcentis cumulus. 2. humoris melancholici ζύμωσις, μετεωρισμὸς καὶ πολλαπλασιασμός. 3. ſanguis luxurians atque ebulliens; hinc enim fit ἀναδρομὴ vaporum hypnoticωn ad cerebrum, pectoriſque venæ ſimul intumeſcentes ſpiritus anguſtiam pariunt. Denique feruidioris vberioriſque ſeminis orgaſmus, qui venereis inſuper illecebris ęgrotum ludificans mouet ἐξονειρωγμόν.

Cauſæ procatarcticæ ſunt multiplices: ambientis frigiditas obſtans inconſpicuæ difflationi: Cibi

flatulenti, vaporantes, & coqui contumaces vt fabæ, tubera, lentes, omniaque legumina: Cruditates vel culpâ ventriculi, vel in ventriculo licet ἀνεμίᾳ ob ingluuiem & temulentiam conglomeratæ; lumbrici in aluo ebullientes: ſomnus ſtatim à paſtu plethoricis cauſis caput implens, cum nempe inter vigiliam & adultam quietem in prima ſomnij nebula adhuc ſe vigilare exiſtimat, qui dormire vix cœpit; ſecùs enim vt vigilantes hanc ægrimoniam non experiuntur, partim vaporum inopiâ, partim etiam quod eorum imaginatio, non vt dormientium hallucinetur; ſic altus ſopor creando incubo ineptus eſt, exhalationum in cerebro πλεονεξίᾳ nullum ſomniis locum concedente. Demùm ſi ſomnus ſupino ineatur decubitu, ſympathi-

cus exurgit Ephialtes, aut quia cor dorſi vertebris vicinius commodè non pulſat, indéque quamplurima aceruantur excrementa fuliginoſa; aut quia calefactis lũbis quibus vena & aorta innitũtur, ſanguis ęſtuat, permultique halitus iuxtà ſpinæ rectitudinem ad poſticam cerebri partem obrepunt. Incubus item idiopathicus iſto iacendi ſchemate prouocatur, cerebri ſuperuacaneis, quę per conſuetos meatus anteriùs ſitos, nempe os atque nares educi oporteret, ad poſteriora deriuatis.

Patet ex allatis incubum minutæ vel nocturnæ epilepſiæ titulo perperàm inſigniri, nec Ephialticos, vt vulgò dicitur, iiſdem tædiis noctu per ſomnum implicari, quæ epileptici interdiù perpetiuntur: Incubus enim expers eſt omnis

conuulſionis, quæ totam vel præcipuam epilepſiæ ὕπαρξιν conſtituit; quinimo incubus rectiùs exigua apoplexia quàm parua epilepſia dici poſſet, eiuſque natura, ſymptomata atque cauſæ morbo ſyderato quàm comitiali magis reſpondent.

Cauſæ incubi, indiciis humorum πλεόνασιν & quaſi præfecturã demõſtrantibus ſeſe produ͂t, quibus vnu͂ adiicimus à iuuantibus ac lædentibus petitum; nimirum incubum à fermentatione ſucci atrabilarij prognatum intendi à calidis, remitti à frigidis, factâ ταπεινώσει humoris μετεωριζομένου: Incubum verò ἀπεψίᾳ genitum, è contrario ſe gerere.

Si cerebrum male habeat per ſocietatem vapidorum viſcerum, quoniam rapta ſurſum exhalatio,

humore ſubtilior eſt, abſolutâ derepente eius diaphoreſi, illicò reſipiſcit morbida imaginatio, præcordiorum querelâ, ac potiſſimùm dyſpnœâ aliquantulùm protractâ. Cerebro autem eſſentialiter ac per ſe afflicto, præter capitis grauitatem, aurium tinnitum, vertiginem, & reliqua quæ & antecedunt & conſequuntur cephalica ſymptomata, expergefactus æger ſpiritus, motuſque integritatem protinùs quidem recuperat: At quia materia morbifica caput occupans propter craſſitiem tardius diſſoluitur, non confeſtim ſibi redditur turbata imaginatio, pertinaciter affirmantibus perſæpe ægrotis hominem, Dæmonemve ſe conſpexiſſe & alloquutos eſſe; ſed eum in fugam verſum, dum comprehendere tentarent. Notat inſuper Au-

relianus, amputato somno: *Faciem atque transforationis partes, vt oculos, nares & aures vuidas & humectas sentiri, attestante grauedine ceruicis cum tussiculâ leui, molli stimulatione commotâ.* lib. 1. tard. pass. c. 3.

Pueros incubus frequenter exercet; quia propter voracitatem crebrò ἀπεπτοῦσιν, & τῇ ἀφορμῇ adiungitur animi εὐεξαπατήτου διάθεσις, scribit Aurelianus ab hoc morbo haud semper abesse periculum sa- ibid. lutis; sed cum *vehementior impresserit præfocatio*, quosdam interfici; additque ex Silimacho contagiosum quondam & epidemicum incubum Romæ grassantem multos pestis instar iugulasse. Verùm hîc est opus διορισμῷ; Nam incubus rarenter recurrens, & ἀπὸ φανερῆς προφάσιος, verbi causâ, à crapulâ oriundus, vacat prorsus discrimine.

Si verò per plures noctes, vel pluries vnâ nocte repetat, ac domesticum fuerit eius seminarium, periculosus censeri debet; non tamen vt causa, sed vt signum, quatenùs est μελέτη καὶ προοίμιον dirorum ac feralium morborum vt apoplexiæ vel epilepsiæ, potissimùm si accessio diuturnior sit atque sæuior, obesosque homines aggrediatur quorum corpus non est εὔρουν ac perspirabile. Postremò Ephialtes à bullante humore melancholico genitus πάθος ὑποχονδριακὸν minitatur, huicque conterminus est: ac in genere ille incubus statuitur formidabilior qui vertiginem, mentisque stuporem & confusionem post se relinquit, eò quod cerebri idiopathiam denunciet.



DE SPVRIA CONVVLSIONE AC SPECIATIM DE SPASMO CYNICO.

PRæter veram, legitimamque conuulſionem datur fallax atque nótha quæ per ſe non contingit, ſed muſculorum oppoſitorum paralyſin ex accidenti conſequitur, ac idcircò collectio rectiùs quàm conuulſio dici debet? huius meminit Hippocrates lib. 2. Epid. docens ſect. 2. vertebris lateraliter luxatis partem, in quam ipſæ vergunt, reſolui, latuſque aduerſum conuelli: Galenus quoque ſcribit, Motuum qui 1. de mot. muſc. 9.

ſibi inuicem ſuccedunt, vno pereunte, alterum adimi; Exempli Gratiâ, tenſore muſculo reſoluto aut amputato, membrum ab antagωniſtâ flexore ſtatim flecti, ac flexum & immobile permanere, quod ampliùs expandi non poſſit.

Ad rimandam huius euentus cauſam duo obſeruanda ſunt. Primò cum ex Ariſtotele omnia vel pulſu, vel tractu moueantur, motuſque animalium non pulſione partium, ſed tractione perficiatur; conſtat vnicam eſſe muſculorum actionem, nempe contractionem, neque muſculum, dum conductus eſt, ſeipſum laxare poſſe, verum vbi oppoſitus muſculus ſeſe contrahit, tunc illum ad huius motum eodem tempore retendi, adeò vt contracti muſculi extenſio, paſſionis potiùs quàm actionis nomen

lib: 3. de anim.

mereatur. Attendendum ſecundò duplicem muſculis ineſſe contractionem vnam arbitrariam quæ obitur per influxum ſpirituum animalium è cerebro; alteram inſitam quæ non modò non fit à voluntate, ſed nequidem ab animâ peragitur: mortui enim muſculi, ac per medium tranſuerſim diſſecti, vna portio ſuperne, altera inferne recedere feſtinat: abſciſſo illius principio, totus verſus caudam proprio impetu ducitur: inciſo eius fine ad caput ſuum repente confugit: ac denique ſi ſuperiorem, inferiorémque muſculi partem ſimul ſecueris, hunc quaſi conglobatum, & ex vtroque extremo in ſeſe coëuntem conſpicies, Galeno authore. 1. de mot. muſc. 10.

Ea igitur eſt fabrica muſculorum, vt etiam in mediâ figurâ locati, omnemque motum animalem

intermittentes, mediantibus tamen membris in quæ inſeruntur, mutuam ſibi præbeant ἀντίςασιν, cuius ope ſeruatur partis mouendæ ἰσοῤῥοπία, ſiue æquilibrium; quandoquidem muſculi antagoniſtæ ſint ἰσοσθενεῖς, niſuque æquabili contendantur. Hæc porrò natiua contranitentia motum tonicum quodammodò æmulans, exigua eſt ac proinde ἀκάματος, niſi vel in ſumme imbecillis qui illam mediæ figuræ tenſionem quanquam paruam vix tolerant, ideóque poſituram dolore carentem vanâ ſpe quærentes, membra huc & illuc crebrò proiiciunt; vel etiam in valentibus ac robuſtis, ſi diuturnior fuerit illa muſculorum intentio, tunc enim vtvt leuis ſit, importuna nihilominus paulatim redditur, homineſq; medio ſitu tandem defatigati hunc coguntur variare.

Sed, inquiet aliquis, ſi muſculi naturâ ſuâ ſint ἀντίτονοι, ſequetur aliquo eorum κατὰ προαίρεσιν adducto, aduerſarij relaxationem violentam fore. Reſpondemus violentiam quamdam adeſſe reſpectu muſculi laxati, nullam verò ratione totius animalis; ſic motus localis animalibus naturalis eſt, etſi membris eius vtpote grauitate pollentibus vim inferat.

His ita poſitis patet muſculo reſoluto eius antagωniſtam ſublatâ ἀνθολκῇ illicò colligi, non pro arbitratu ægrotantis, ac per virtutem locomotiuam & animalem; ſed neceſſariò ac inuoluntarie, putà per contractionem illam muſculis à natura inditam, nec appetitus imperio ſubditam.

Reſolutio autem fit dupliciter, vel quia impeditis neruis, ſpiritus

prohibetur à penetratione ad musculos, aliàs secundùm naturam se habentes; vel quia penetrat quidem; sed vitiatus musculus eius impressionem non suscipit: priorem modum Hippocrates νεύρων ἀκρατείας, posteriorem σαρκῶν ἐκθήλυνσιν
5. aph. 16. videtur appellasse.

Igitur si nerui culpâ paralysis oriatur, saluo cæteroquin, corpore musculi ad quem neruus ille ducitur, alter quidem musculus ei oppositus potest pro voluntatis imperio vel contrahi, vel non contrahi, neque hunc voluntariè semel collectum, sponte nostra ampliùs extendi possibile est: Verùm hîc propriè agitur de accidentaria conuulsione quæ semper est iniussa, & quæ velis nolis, aduersi musculi immobilitatem & ignauiam consequitur; dicimusque talem conuulsionem nun-

nunquam poſſe contingere, ſi neruus τῶν ἐνορμώντων delator ſolummodò affectus ſit, ac ipſa muſculi in quem neruus iſte inſeritur, ſubſtantia per ſe ſana fuerit; eò quod licet obſtructo, verbi causâ, neruo, confeſtim auferatur ob ſpirituum animalium penuriam, ſpontanea ſubiecti muſculi ſyſtole; altera tamen contractio eidem muſculo ad libramentum innata ſeruetur; quippe quæ non à facultatis motoriæ à cerebro influxu, ſecus libera eſſet, ſed à propriâ muſculi, præſertimque tendinearum eius partium conſtitutione dependeat: proindéque hanc corrumpi, nempe ipſummet muſculum molleſcere, flacceſcere, & vt ait Hippocrates, effœminari neceſſe eſt, vt alter ei aduerſus perditâ ἀντίστασι, abſque iuſſu voluntatis ſtipetur in ſeſe, partem-

que in quam implantatur, ſecum abripiat.

Quod ſpectat ad muſculos antagoniſtis deſtitutos vt ſphyncteres ani & veſicæ, ſciendum quoque duplicem illis ineſſe contractionem, vnam animalem à cerebri influentia pendentem, qua fœcum ac vrinæ effluxum arctius aut laxius pro libito remoramur; alteram naturalem atque inſitam quæ iniuſſa, minuſque ſtricta exiſtit à fibrarum circularium in ſeſe verſus centrum neceſſaria nec libera coïtione, per quam anus & veſica, nobis etiam non cogitãtibus, oppeſſulantur, ac nequidem in cadaueribus fœces atque vrina prodeunt, niſi vel ante mortem tale quid præceſſerit, vel æger ſuffocatus obierit; vnde abdomen ita comprimitur à diaphragmate, vt alui & veſi-

cæ excrementa vi foras elidi contingat.

Reſolutis ergo ſphyncteribus à negato appulſu ſpirituum animalium, interimque ſuperſtite alterâ contractione ipſis ingenitâ, excrementa haud inconſultò effugiunt; contrà verò emollitis ſphyncterum fibris ex inſeſſu, verbi gratiâ, ſuper marmore frigido, aut morâ in aquâ algidiore, ſtatim accedit λαθραῖος, ſiue clandeſtina atque inſcia ſuperuacaneorum euacuatio, vt piſcatori cuidam contigit apud Galenum. 4. de loc. affect.
Hinc carotici nec commeiunt, nec concacant ſtratum, tametſi adeò grauetur cerebrum, vt eius irradiatione ſphyncteres penitus orbentur; At è contrariò lethargici in quibus vis animalitatis magis affulget, obſeruantur ὑφ' ἑαυτοὺς χαλῶντες vt loquitur Hippocrates appoſitè

ad Gallicum idioma, *Lascher tout soubs eux.* Ratio est quod in Caro tota materia morbifica cerebri ambitu concludatur, nec deriuetur ad musculos; cum ex aduerso in lethargo humoris quædam portio è cerebro in musculosum genus depluens soluat eius tonum, faciatq; λύσιν illarũ particularũ quarum κρᾶσις sicca esse debet. Neque tamẽ laxatis eo pacto alui aut vesicæ claustris siue sphyncteribus, accidentatariam conuulsionem superuenire potis est, quandoquidem desit oppositus musculus qui ipsam præstet.

Fucata autem ac illegitima conuulsio quamuis germani spasmi characterem mentiatur, ab eo tamen multifariàm differt. Primò quidem in hoc pars sana versus ægram rapitur; In illâ verò muscu-

lus ſanus contrarium muſculum ex paralyſi remiſſum attrahit. Secundò in hoc tanta eſt energia cauſæ conuulſificæ, vt muſculi diſcerpantur potiùs quàm patiantur ſe reduci, præſertim ſi affectio fortis & vetuſtior fuerit: In illâ autem muſculus collectus non rigeſcit; ſed ad arbitrium externi impulſoris flexilis eſt, quamuis ſibi derelictus mox recolligatur: Imò ſi muſculus reſolutus manibus retrahatur, eius ἀντισάτης qui ſacomatis defectu in ſeſe coactus fuerat, reparato æquipondio, priſtinum naturalemque habitum ſtatim recuperat, ac tamdiu in eo permanet, quamdiu durat illa paralyticæ particulæ retractio. Denique in ſpaſmo propriè dicto, integra ſæpe eſt ac perfecta morboſi muſculi contractio: In adulterinâ verò conuulſione pro-

pter partis trahendæ cùm ſua mole grauantis, tùm extranei ac craſſi humoris copiâ onuſtæ reluctantiam, muſculus incolumis vltimam contractionem non aſſequitur abſque virtutis animalis adminiculo; Exempli Gratiâ, ſi ægrum iubeas vt particulam ex euentu conuulſam impenſius flectat, hæc ſane perſpicue flectetur; rurſus ſi iubeas exoluere voluntarium flectendi motum, videbis eamdem confeſtim extendi, quouſque præcedentem, mediocremque flexionem repetat: & hinc quoque fit vt homo ſanus extremâ flexione membri προαιρετικῶς factâ, cum ipſam ſoluerit; muſculus flectens nonnihil diſcedat, membrumque ad moderatam flexionem proprio motu reuocetur.

Vt facies domicilium eſt pul-

chritudinis, hæcque in membrorum debito ſitu, & aptâ figurâ maximè conſiſtit; ſic partium ſeu reſolutarum ſeu conuulſarum διαστροφὴ in facie quam dehoneſtat præcipue conſpicua eſt: hæc & Oris tortura & ſpaſmus Cynicus promiſcue vocitatur; quas tamen voces ſatius eſt ita diſtinguere, vt altero tantùm vultus latere peruerſo Oris tortura & diſtenſio dicatur, quia curuitatis fœditas in oris ambitu ſeu potiùs angulo quem χαλινὸν Græci vocant, euidentiùs quàm in reliqua facie apparet: diſtorſione verò vtrumque oris latus obſidente à rictus canum irâ percitorum, & ad mordendum ſeſe comparantium ſimilitudine, σπασμὸς κυνικὸς, Latinis raptus caninus appelletur; Canes namque ringendo vtramque ſimul oris partem didu-

2. de differ. pulſ. 3. cunt. Galenus varias Canis nominis ſignificationes proponens, inter cæteras ait morbum in facie quandoque ſignificare vbi ſpaſmus Cynicus proculdubio intelligitur. Riſum quoque Sardonium nominant à Sardoâ herbâ, id eſt batrachio quodam venenato in Sardiniâ iuxtà fontium margines naſcente, quod ſi edulio fuerit dehiſcere in rictus ora cogit, itavt qui mortem oppetunt, ſub ridentium ſpecie intereant, quam herbam Apuleius ſceleratam, vulgus Apium riſus nuncupat.

In hoc affectu rarò os ſolùm laborat; at plerumque narium, palpebrarum, cæterarumque faciei partium muſculi, necnon etiam latus muſculus μυώδης πλάτυσμα dictus, qui omnibus vultus particulis communis eſt, ac vniuerſam

eius cutem naturaliter mouet, vnà afficiuntur; ita vt non modo labia, ſed faciei dimidium diſtorqueatur. Oculus etiam atque lingua eamdem noxam non infrequenter participant, quinimò oris diſtentio, teſte Aureliano: *Colla quandoque & humeros ſimul rapit, & ita patientes facit commoueri tanquàm onus humeris bajulantes transferendi ponderis causâ.* 2. tard. paſſ. 2.

Canina conuulſio eſſentialiter ſymptoma eſt oblæſi motus animalis; ſed ſi effectuum ratio ineatur, in genere cauſæ morbificæ collocari debet, quod morbum in ſitu ac figurâ progignat.

Oritur iſta affectio vel à conuulſione partis contortæ, vel à paralyſi partis oppoſitæ, velut habenis hinc illincve aut adductis aut remiſſis capita equorum torquentur. Con-

uulſio alteram ſæpiùs quàm vtramque oris partem occupare conſueuit, paralyſis alterum duntaxat latus tentare debet, ſi oris torturam præſtitura eſt, cum facies vtrimque reſoluta in neutram partem detorqueatur: quod ſi conuulſio atque paralyſis in eodem latere alternatim ſeſe excipiant, os modò dextrorſum, modò læuorſum quaſi per artem ludicram deflectet, provt nunc ſpaſmus, nunc reſolutio per vices infeſtabit.

Conuulſio vel idiopathica eſt, vel ſympathica: ſic ſpaſmus Cynicus nono die poſt teſtis euulſionem nonnunquam ſuperuenit, & quidem cum ægri pernicie. Traiecto quoque in præliis, gladiatorumque ſpectaculis ὑπὸ τῷ περὶ τὰς φρενὰς lethalis riſus concitatus eſt ex Ariſtotele & Plinio, non qui-

3. de hiſt. animal. 10.
l. 11. c. 37.

dem vt in titillatu ob calorem diaphragmatis quem vulnus induxit, ſicuti cenſet Philoſophus; ſed potiùs quod diaphragma è tertiâ & quartâ ceruicis vertebrâ neruos mutuetur, è quibus ramuli tendunt ad labia; vnde lege συμπαθείας præcordiis ob acceptum vulnus vibratis, conuulſorius riſus cietur. Ariſtoteles autem loco citato tacite videtur ſubindicaſſe hiſtoriam ab Hippocrate traditam de Tychone qui confoſſo catapultâ pectore, ac dum lignum extraheretur, aliquâ ſpiculi parte circà ſeptum tranſuerſum relicta, tumultuoſo riſu correptus eſt, breuique poſt tempore iuxta Hippocratis prognωſin vi conuulſionis interiit. 5. Epid. ægr. 94.

His cauſis obliquati vultus addi poteſt maxillæ inferioris παραγωγὴ; ſeu a fractura ſerius vel minus arti-

lib. de artic. ficiose tractata, vt docet Hippocrates, seu etiam musculorum masseterum vitio; tunc enim labia quanquàm per se illæsa sequuntur mandibulę obtorsionem, simulq; dentes naturalem amittunt concubitum, & masticatio impeditur. Dolor in ossibus faciei vel potiùs eorum periostio cum stupore & palpitatione cutis, præcursor est raptus canini apud Auicennam, lib. 3. fen. 2. cap. 10. quod humoris exuperantiam indicet, paralysin aut conuulsionem propediem illaturi.

Præsente iam affectu faciei schema corrumpitur, labia non rite combinantur, saliua sponte effluit, spiritus altera tantum oris parte efflatur, manca demum est ac implicita loquela; Nam vt articulatio absoluatur, firma conduci labra & ad nutum deduci necesse est: Cel-

ſus alia ſigna adiungit ſcilicet fe- l. 4. c. 2.
brem acutam, crebramque coloris in facie mutationem; ſed iſta aliena ſunt, neque perpetua.

Magni porrò eſt momenti internoſcere, an malum vel conuulſionis vel reſolutionis ſoboles ſit; illic enim membro trahenti, hic autem membro tracto debetur medela, cum morbus ibi non hæreat, vbi figuræ deprauatio ſeſe oſtendit. Igitur præter ſigna ſinceræ ac inſinceræ conuulſionis διαγνωστικὰ quæ ſuperiùs memorata ſunt: In ſpaſmo particula dura eſt, rugoſa ac dolorifica, æger parcius ſpuit, nec palpebra è directo arcte occluditur: In paralyſi verò pars laxa eſt, læuis atque ſtupida, vberior adeſt ptyaliſmus, ac palpebra ſuperior vix recludi poteſt, inferiorque demergitur: Inſuper dimidia palati regio re-

mollescit, aspectusque fixus est ac demissus, perinde ac ægrotans attentæ meditationi incumberet.

Notandum autem partem faciei ex conuulsione tortam atque corrugatam tactu interdum orbari, resolutis neruis eius extimis, quibus tangendi virtus ad cutem delegatur: ac ex aduerso partem faciei ex resolutione laxatam, sensus esse compotem, si nerui exteriores qui cuti tactum impertiunt, insontes fuerint.

Facies partim, quia externis iniuriis aperta, partim quia cerebro algido ac madido vicina, frequentius paralysi capitur. Vultus διαστρέμματα quæ nulli corporis parti consentiunt celeriter aut sua sponte, aut ex necessitate sedantur, ex Hiopocrate. Tortura oris vltrà sex menses protracta, Auicenna teste,

lib. 2. prorrh. loc. cit.

difficilem curationem admittit, non tantùm propter causæ inueterationem; sed etiam quod musculorum villi à firmo & constante situ certæ figuræ assuefacti, hanc ægre dimittant, sic artus etiam morbi expertes paucarum horarum positionem non sine molestia immutant, & corrigię diu complicatę, tandemque explicatę ac sibi derelictę ad plicaturas vltro recurrunt. Risus Sardonius ex se turpis est, nunquam periculosus; sed exitiales passiones interdum portendit, verbi causâ, apoplexiam, si sit paralyticus; aut Epilesiam si conuulsiuus: aliquando lethali ęgritudini sociatur, vt phrenitidi & continuis febribus, increscente circà cerebrum morbi malitia; vnde Hippocrates: 4. aph. 49.
In febre non intermittente, si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus

peruertatur, mors in propinquo est; ſcilicet ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, nam Pythion couualuiſſe narratur, cui acuta febre detento die ſeptima σῶμα παρεῤῥύαθη: Imo quandoque Cynicus ſpaſmus in criſes vtiliter cadit, materia ſurſum commigrante, & ſubinde vi naturę deorſum remigrante, aut exitum habente per nares.

initio lib. 3. Epid.



DISSER-



DISSERTATIO PATHOLOGICA. DE DELIRIO IN GENERE.

TRes dantur facultates principes τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ φανταστικὸν, καὶ τὸ μνημονευτικὸν: ſupremum eſt mentis tribunal: Imaginatio tanquàm iudex ὑπάλληλος ſedet, huiuſque iudicia in ſumma rationis Curia retractantur: Memoria eſt veluti libellio vel tabularius cui acta conſignantur.

Mens penitus obbruteſcit in amentia, hebeſcit in fatuitate, corrumpitur in delirio.

E limine difficultas grauissima venit enodanda, quo pacto ratio violari queat. Impium esset opinari delirij causas migrare in mentem, hancque corporeis telis atque ictibus esse vulnerabilem; quippe quæ longissimè posita sit extrà sphæram actiuitatis causarum naturalium, omniumque affectionum secura existat præterquàm αἱρέσεως, vnde officium, quidem animæ tollitur, sed non vis, tantò minus substantia; haud secùs ac peritus citharista lyram pulsans fidibus solutam, artem callet; etsi ea male fungatur. *Cuiusmodi sunt vasa*, inquit Hippocrates, *per quæ excurrit anima, & vt sunt affecta quibus accedit; tum illa etiam quibus permiscetur, sic homines aliter atque aliter sentiunt, ideóque possunt ista per diætam transponi: naturam enim inaspectabilem transformare potis non est.*

lib. 1. de diæt.

Hæc diuini ſenis verba, quanquam aurea & vncialibus litteris digna, nodum tamen non ſoluunt; Nam cum virtus ἡγεμονικὴ mediis corporalibus organis functiones ſuas non exequatur, vt Medici à Phyſicis probatum accipiunt, dubium relinquitur quomodo malorum corporis particeps fieri poſſit. Credendum ergo Rationem per ſe, ac inſtrumenti ſui inualetudine vtpote quod nullum ſit, more cæterarum facultatum non laborare; ſed accidentariò tantùm & ob errorem externum, id eſt obiecti, ſcilicet phantaſmatis culpâ; quod etſi materiale ſit, nec ſpirituali ac inorganicæ potentiæ accommodatum, intellectui tamen eſt pro exemplari, itavt ad præſentis phantaſmatis ſimilitudinem, intellectus agens fabricet ſpeciem intelligibilem atque im-

materialem, cuius interuentu intellectus patiens ſeu poſſibilis intelligendi actum elicit. Igitur quemadmodùm vitiati archetypi effigies imperfectas eſſe neceſſe eſt: ita ſi idola phantaſtica diſtorta atque incondita fuerint, tales etiam erunt imagines dianoëticæ, ſicque mentem ipſam errare continget,

Lucret. l. 4.

--Vt in fabrica, ſi praua eſt regula prima
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſum eſt
Praua, cubantia, prona, ſupina atque abſona, tecta
Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantque

Prodita iudiciis fallacibus omnia primis.
Sic etiam ratio tibi rerum praua necesse est
Falsaque sit, falsis quæcumque ab sensibus orta est.

Proindeque nonnisi per sympathiam sensuum ceu exploratorum, testiumve infidelium ratio offendit; ac eclipsin patitur non verè, sed per accidens instar solis deficientis non Lunæ. Sicuti Duces sapientissimi multa temere aggrediuntur falsò, nec opportune moniti, ita mens à phantasiâ hallucinante seducitur; excipit enim quod offertur; at offeruntur vitiosa.

Non me latet plerosque de intellectione aliter philosophari, nempe intellectum agentem non effigiare sibi spectra, sed innato lumine phantasmata illustrare, & à

materiæ imperfectionibus ita defœcare, vt tali irradiatione intelligibilia menti reddantur; quomodo etiam Angelos de rebus ſenſibilibus per imagines obiectorum materiales iudicare coniiciunt. Sed perinde eſt hanc illamve amplexemur ſententiam: nam vtrinque infertur rationem non aliter quàm per contagionem morbidæ imaginationis ægrotare.

Aliqui exiſtimant in primâ quidem rerum apprehenſione mentem opus habere ſatellitio phantaſiæ, quia nihil eſt in intellectu, quod non antea fuerit in ſenſu; ſed rationem munus ſuum implere abſque concurſu imaginationis, vbi ſpecies intelligibiles ſemel conſequuta fuerit. Verum an vnà cum memoriâ ſenſitiuâ detur memoria intellectualis non liquet: po-

namus tamen animam rationalem non tantùm intellectu atque voluntate præditam esse; sed & tertiâ quadam potentiâ incorporeâ specierum intelligibilium sequestrâ, vel saltem has custodiri in intellectu patiente; experientiâ nihilominus ratum est, mentem turbari, nec probe vti simulachris dianoëticis iam acquisitis, si sensus interni adulterati fuerint; ac inconcussum perstat Aristotelis dogma, oportere intelligentem speculari phantasmata, hoc est quamdiu anima corporis quasi ergastulo vel catastâ detinetur, propter naturalem intellectus ac phantasiæ societatem, illum non posse circà rem aliquam occupari, quin hæc pro suo captu versetur circà idem obiectum, aut saltem aliud quidpiam quod cum re intellectâ connexionem habeat, vel ei

lib. 3. de anim. c.7.&8.

quomodocumque respondeat; verbi causâ, si mens contempletur res vniuersales, vel spirituales, imaginatio res particulares aut materiales intueatur; ac idcircò cum perpetuum sit istarum facultatum in suis operationibus consortium, si erronea fuerit imaginatio, mentem è vestigio peruerti, ac vbicumque hæc à recto tramite deflectit, phantasiam prius deuiare necessarium est; eóque modo mens licet ἄϋλος, tamen quamdiu materiæ copulatur, astricta est ad morbi catenam, corporisque iniurias desponsat.

Ex dictis patet perperàm à nonnullis mentem in media cerebri regione, phantasiam in anteriore, & memoriam in posteriore collocari. Primò enim supponunt mentem esse potentiam organicam; deinde

quis non videt idem futurum mentis & imaginationis habitaculum, ſi mens ad phantaſmata conuerti debeat?

Galenus vt mentem habet pro corporeâ, ſic docet in deliriis nonnunquàm vtramque facultatem & imaginatricem & ratiocinatricem eiuſdem lapſus conſortem eſſe (quod ſemper euenire nos cenſemus) ſed interdum quoque imaginationem tentari illibatâ ratione, quandoque ineptire rationem imaginatione inculpatâ. Prioris caſus exemplum recenſet Galenus in ſeipſo adoleſcentulo qui per cauſum decerpens paleas, floccoſque è veſtibus auellens, & à duobus amicis mutuò colloquentibus conatum ſuum vt inanem notari audiens, fraudem confeſtim deprehendit, auxiliumque ad phrenitidis pro- 4. de loc. aff. 1.

phylaxin implorauit, si Galeno fides, absque vllo ratiocinij nocumento, vis imaginatiua cæspitabat. lib. de sympt. differ. 3. Tradit alibi exemplum Theophili cuiusdam Medici tubicines in cubiculo se videre & die noctéq; audire vanè imaginantis; sed apte ratiocinãtis illos, si fuissent, expellendos esse, vt reuerà reliqua prudentia ei supererat, & disputandi & præsentes agnoscendi; posteriorem casum videlicet motæ rationis, stante interim phantasiâ, demonstrare nititur historiâ cuiusdam phrenitici qui occlusis foribus, prætereuntes ex fenestrâ rogans, an vasa vitrea, quæ rectissime nominabat, iaceret ex alto, hique ridendi causâ annuissent, vasa omnia eiecit; ac deinde eosdem interrogans, num etiam puerum deiiceret, hique imperas-

ſent, eum illicò præcipitem dedit.

Attamen pace Galeni aſſerimus iſtis exemplis minimè probari quod ipſe intendit. Primò enim Galeni adoleſcentuli, febre ardente correpti, & feſtucas colligentis, mens, etſi mendacibus illis imaginibus nondum plene erat addicta (ſecùs eius erratum nequaquam amici repreſſiſſent) ſic aliquantulum haud dubiè vacillabat, alioquin ſimiliter ac in vertiginoſis imaginationis fallaciam ſine monitis aſtantiũ ſana ratio emendaſſet. Deinde Theophilus ille melancholicus fuit, cuius non ſolùm imaginatio, ſed intellectus quoque peccabat, ſi non in ſuo diſcurſu, ſaltem in apprehenſione tubicinum qui nulli aderant. Tandem haud inoffenſa fuit memorati phrenitici phantaſia, quippe quæ ante

mentis operationem primùm vaſa, mox puerum vt proiicienda iudicauerit, in cuius ſuffragium cum ratio deſcendiſſet, proiectio inde ſubſequuta eſt.

Porrò vt iſta explicatius & elimatius enuncientur, duo obſeruabimus. Primo cum mentis actio triplex ſit, apprehenſio, compoſitio & diſcurſus, non raro intellectum in ſimplici obiectorum apprehenſione, atque etiam in eorum compoſitione ludificari, diſcurſu aliàs intemerato, ſicut quotidiano melancholicorum & ſpeciatim Theophili illius iam citati exemplo videre eſt. Secundo deliria diſtinguenda eſſe à mentis perturbationibus ſæua appetitus ſenſitiui paſſione concitatis, per quas aliena ac inſolita pronuntiantur vel patrantur: Ira, verbi causâ, furor breuis eſt,

περιχαρεία mentem excutit, & antequam ingens amor vel metus verum inferat delirium, qui efflictim ac perdite amant, aut maxime ac improuiso timent, è mentis potestate exeunt, & tamen desipientiæ propriè dictæ sunt expertes: quod cerebrum nequidem minimâ aspergatur labeculâ, nec ratio vi morbi, sed obiecti vehementia extrà cancellos rapiatur: Nam in deliriis mentis ægritudo accersit immoderationem appetitus: At in animi pathematis effrænis appetitus mentem trahit extrà metas; sic maniacorum ἀκρηχολία effectus est non causa mentis euersæ, contrà ira in ὀξυθύμοις causa est non effectus commotæ mentis; proindéque illic præsidiis medicis, hîc præceptis moralibus opus est.

Lubet quibusdam intellectum

non ſolum à phantaſia, ſed etiam à memoria imagines recipere, itavt quantumvis mendoſæ ſpecies ipſi ab imaginatione ſubminiſtrentur, alias optimas ac integras mutuetur à memoria, quibus mediantibus phantaſiæ hæreſin caſtigat, vt in vertigine & oculorum παρορᾶσι. Verum ex hac opinione ſequeretur primo mentem ſpecies rerum à memoria proxime accipientem operari poſſe ſine præuia imaginationis actione: deinde nullũ vnquã fore deliramentum, conſtante memoria, quod experimentis refragatur, itaque ſatius eſt duplicem ſtatuere imaginationis læſionem; vnam per accidens & vitio obiecti nempe ob imaginum prauitatem, incorrupta cæteroquin cerebri conſtitutione, ſicut in vertigine, & oculorum hallucinatione cõtingit;

alteram per ſe ac læſa facultate ſiue potius organo facultatis : priore modo phantaſia ex ſe innocua, rectarum ſpecierum in memoria aſſeruatarum miniſterio, cæterarum imaginum quæ obiiciuntur abſurditatem dignoſcit, iſtudque phantaſiæ decretum à ratione poſteà comprobatur, at poſteriore modo delirium eſt ineuitabile, quoniam phantaſia per ſe illuſa, intellectui neceſſario imponit.

Obiicies in legitimo delirio in quo imaginatio per ſe & propriè titubat, huius σφάλματα ab intellectu nonnunquàm refelli: Nam Philoſophus ille λυσσόδηκτος apud Aëtiũ, phantaſiæ aquam abominantis delictum rationis ſubſidio ſuperauit, atque aqua intrepide ebibita à morbo liberatus eſt; imo rabientium nonnulli, ne quaſi inuiti

tetr. 2. ſerm. 2. cap. 24.

cęteros dentibus petant, ſe vinculis coërceri iubét, ac etiam aſtantes ad fugam hortantur. Reſpondemns peruerſam iſtorũ hydrophoborum phantaſiam à mente non fuiſſe erectam, cum hæc illius læſuras nequeat effugere; ſed imaginatiuam ac intellectualem potentiam ſimul contaminatam fuiſſe, adeo tenuiter tamen atque moderatè, vt ope fidelium ſpecierum in memoria reconditarum, vtraque hæc facultas aberrationem ſuam recognouerit; vel potiùs dicamus ob inſtabilem vaporum naturam fugacia fuiſſe deliria, ac mentem atque imaginationem breuibus ſanitatis interuallis potitas eſſe.

His ita præmiſſis Delirium in genere definiri poteſt: *Notabilis mentis deprauatio imaginationis errore prognata.* Dicitur, *Notabilis deprauatio*

uatio. Mens enim extrà rationis ſemitam pauliſper abducta non dicitur delirare, cum homines citra deſipientiam multa ſæpe præpoſtere ac imprudenter vel præſtent vel loquantur, quomodo Muſici, Poëtæ, Pictores non deſipientes, ſed phantaſtici vulgò vocitantur, quaſi in confinio delirij & ſapientiæ poſiti, tantúmque differunt à delirantibus, quantùm homines boni ac ſimplices à fatuis diſcrepant. Additur *imaginationis errore prognata*, vt diſtinguatur ab æſtibus procelloſis appetitus ſenſitiui, rationem demergentibus.

Duplex eſt imaginationis inſtrumentum, vnum immediatum, primarium & animatum nempe cerebri ſubſtantia; alterum mediatum, ſecundarium & inanimatum ſcilicet ſpiritus animalis qui non modo

vt medium internum; ſed etiam vt organum principibus potentiis famulatur. Præcipua igitur delirij cauſa eſt cerebri morbus, non quidem organicus (hic enim fatuitatis & dementiæ potiùs quàm delirij author eſt) ſed ſimilaris vel communis; ac frequentiùs calida intemperies: quemadmodum enim frigus quia ςαπικὸν ſpirituſque inactuoſos reddens lædit actionem per modum quietis atque ceſſationis; ſic calor quia κινητικὸς, ſpirituſque plus iuſtò exagitans, affert offenſam in motu & mutatione conſiſtentem: quare Hippocrates mentionem faciens deſipientiæ à pituitâ genitæ per quam ægri nec vociferantur, nec tumultuantur non intelligit pituitam naturalem frigidam atque humidam; hæc ſiquidem ignaua eſt, nec corrumpit,

lib. de morb. ſacro.

verum minuit aufertve cerebri actiones; ſed præternaturalem & putridam, vt in lethargo, quæ calore & acrimoniâ deliria mouet, licet multò humaniora atque pacatiora quàm bilis, propter iſtarum qualitatum remiſſionem.

At cauſa delirij minùs principalis eſt ſpirituum animalium vel inordinata motio, vel impuritas, vt in melancholicis quorum ſpiritus pigriores quidem ſunt, ſed fæculentiores; vel vtrumque ſimul.

Spiritus animales indebito & variè reflexo motu impulſi, ſpecies quarũ ſunt ὀχήματα & quaſi baiuli ſecũ abripiunt, vnde phãtaſmata vel abſurda, vel abſurdo modo & confuſim imaginationi obuerſantur; Neque enim ſolũ deceptio eſt circà motũ & ſitum obiectorũ, vt in vertigine, in qua circulantes vnà cum ſpiriti-

bus imagines ſuam ſeriem ſingulæ retinent; ſed in deliriis propter irregularem ſpirituum curſum, tanta fit imaginum ἀταξία vt quæ naturaliter diſiunctæ ſunt, coniungantur, quæ coniunctæ diſiungantur, vnde nil mirum ſi τέρατα ἀλλόμορφα monſtra difformia menti occurrant: idem nimirum ſpiritibus contingit ac aquæ in quam ſi plutes dimittantur lapilli, circulorum orbes ſeſe conſulcant & confundunt.

Conſpurcantur animales ſpiritus humorum vaporumve extraneorum commixtione, vnde vel imagines hebetantur; vel quædam etiam penitus velantur, ſeu ex toto, ſeu ex parte, itavt obiecta mutila & deformia concipiantur ab interiore ſenſu, aut etiam res ſeipſis maiores vt in aëre nebuloſo appareant; imaginibus quodammodo diuul-

ſis, ac veluti extenſis à craſſitie medij.

Concludamus ergo maximam eſſe mente motorum parilitatem cum ſomniantibus, in quorum cerebro rerum imagines iuxta turbulentam vaporum motionem tumultuariè oberrantes, ac eorumdem vaporum denſitate obnubilatæ, viſa formant prodigioſa; nec immeritò deliria vigilantium ſomnia, ſomnia verò dormientium deliria nuncupari.

Prædictæ porrò cerebri ac ſpirituum noxæ non ſingulæ & ſeorſim, ſed vnitæ & coniunctim deſipientiam progignunt: Nam ſi cerebro incolumi, ſpiritus animales duntaxat fuerint in vitio, imaginationis actio non per ſe & propter læſam facultatem, ſed propter errorem obiecti externum oblæditur, vnde

ratio indeprauata manet, vt in vertigine fieri dicebamus. Pariter cerebro afflicto mens non percellitur, quamdiu ſpiritus animales inuiolati permanſerint : inde fit vt frequentiſſime à vulneribus capitis, aliiſque grauiſſimis cerebri morbis abſit delirium, quod ſpiritus animales ſint ἄνοσοι ; ac ex aduerſo à tantillo vapore ſpiritibus inquinatis, vel ſuprà modum agitatis, ſimulque cerebro quamuis exiliter alterato, mens ſæpenumerò ſubuertatur.

Duplex autem eſt in cerebro ſpiritus vnus inſitus, fixus & animatus, ad cerebri integritatem pertinens ; alter influens, vagus & inanimatus vtpote corpori contiguus non continuus, qui propriè animalis dicitur ; hic à genuina conditione recedens σχετικὰ καὶ ὅλως parit

deliria; ille verò à naturali integritate declinans, putà impurior ac intemperantior redditus desipientias promouet ἐκτικὰς καὶ δυσλύτους, quales plerumque sunt melancholicæ: spiritus influus afficitur saluo insito; sed spiritus insitus labem suam influenti illicò communicat, quod eius creator sit atque δημιουργός.

Iam verò etsi fiat confusanea specierum phantasticarum in cerebro miscella, & quasi chaos, hæ tamen potius quàm illæ interno sensui inter delirandum obiiciuntur, siue fortuitò, siue quod in imaginationis ac memoriæ campo, quædam species vegetiores atque intensiores facultatem cognoscentem fortiùs feriant, vt recentes ac sæpius recoctæ, quam ob causam diurna cogitata per somnum recurrunt. Refert Lucianus, Comœdum lib. de scrib. hist.

Archelaüm in vrbe Abderitana, Euripidis Andromedem per æstatis retorridos feruores dedisse in theatro, magno populi applausu, eademque estate causum epidemicum fuisse grassatum, ac omnes, quotquot febris inuasit, mente de cussos, eamdem Andromedę Tragœdiam in deliriis grauiter recitasse.

Quęret aliquis quo ductore species propriis sedibus luxatæ, fugato delirio ad suum κόσμον reducantur. Notandum est duplicem reperiri vnius eiusdémque obiecti in cerebro imaginem, vnam mobilem quę inest spiritibus animalibus, & ad eorum motum huc illucque vehitur; alteram immobilem ac cerebro insculptam; hęc illius genitrix est ea vi quam possidet sese in medio diaphano multiplicandi; illa ab

hac dependet & in esse & in conseruari; nisi enim species substantiæ cerebri infigeretur, huius mollitudo aut durities non officeret memorię; Deinde cum spiritus influentes sint ἄψυχοι, anima per speciem hęrentem in peregrino subiecto, actionem suam ederet, quod possibile non est. Hoc posito ad quęsitum respondemus, sedato post deliria spirituum influentium, vt Aurelianus loquitur, turbore, insidentes eis imagiues quę elocatę fuerant, à cæteris speciebus in cerebri corpore sigillatis quę τάξιν suam & concatenationem constanter seruauerunt in pristinum ordinem redigi.

Mente captorum tres sunt classes. Alij enim sola cogitatione delirant, qui silent quidem, sed longam ridicularum cogitationum

telam ordiuntur. Alij verbo deci-
sect. 2. piunt, sic ab Hippocrate οἱ παραλε-
lib. 2. Epid. γομένοις ἀλλήχοοι dicuntur qui inter loquendum sermones serunt à veritate, ratione vel proposito dissentaneos, vocanturque alibi
in progn. ἀλλοφάσσοντες & παραφάσσοντες. Alij denique opere etiam insaniunt qui cogitata dictaque sua factis insuetis vel indecoris explent; horumque nonnulli adhibent artes, summamque speciem sanitatis prębent in captandis maiorum operum occasionibus, sed exitu deprehenduntur.

Delirium vel est innatum vel aduentitium. Illud fit ob infausta τὰ πρῶτα τῆς φύσεως, naturę nouercantis primigenia; duplexque est, aut à parentibus in prolem deuolutum, neque enim vt in foro ciuili sic in foro naturæ ius liberis conceditur

paternam hæreditatem reſpuendi; aut non hæreditarium etſi congenitum ab accidentario ſeminis vitio; ſic notat in problematis Aphrodiſęus à prudentibus patribus filios ignauos progigni, quod illi ob animum rebus ſeriis deditum ac diſtractum languidiorem emittant genituram; hinc tritum illud Heroum filij, noxę, ac Hipp. nepotes tanquã bardi antiquitus audiebãt.

Aduentitium delirium oritur à cauſis ſeu externis ſeu internis: Cauſę externæ ſunt πολυποσίη: me- 7. aph.
ditationes crebrę & attentæ: æſtus 7.
ſolis quo cerebrum vnà cum ſpiritibus ſuis incaleſcit: ictus capitis conquatiens cerebri machinam, ſpirituſque animales perturbans: 7 aph.
oſſis διακοπὴ, ſi in vacuum, hoc 14. 7. aph.
eſt ſpatium cranio & meningi- 24.
bus interpoſitum penetrauerit:

item inanitio vel à Venere immodi-
7. aph. 18. câ, vel à vigiliis, vel ab immodera-
7. aph. 9. to ſanguinis profluuio, quo perti-
net illud Hippocratis Deliria τῶν περιεξαδυνατησάντων prædebilitato-
rum peſſima ſunt, quod à cauſa
1. prorrh. pernicioſa oriantur, videlicet extre-
mâ ſpirituum animalium indigen-
tiâ: Nam ſi eò loci Hippocrates
vires attritas conſideraſſet, non ve-
lut cauſam delirij, ſed ſimpliciter
tanquàm ſignum aſſidens delirio,
profectò nihil noui nos docuiſſet,
cum non ſolùm in deſipientiis, ſed
in quacumque alia ægritudine,
ruentem naturam mortis præſa-
gium eſſe nemini non notum ſit.

At non conſentiunt omnes quâ
ratione ſpirituum animalium ege-
ſtas citet delirium. Placet pleriſque
facultates principes curtâ ſpiri-
tuum ſuppellectile infirmari, ac ob

ingentem potentiæ imbecillitatem non solùm ἀμυδρῶς, sed etiam παρατυπωτικῶς exerceri actiones; licet enim hæ nonnisi à calore queant insigniter deprauari, attamen à causâ quoque frigidâ, si potentissima fuerit, ipsas mediocriter corrumpi posse affirmant, vt reuerà delirium exolutionem consequens, moderatum existit; quemadmodum (inquiunt) in tremore à debilitate τοῦ φέροντος præpondere τοῦ φερομένου, motus impotens est simulque prauus, ita dum obiecta quæ ad mentem imbecillam deferuntur, vehementiora sunt, non mirum si nutet animus in eorum comprehensione.

Nos verò à facultate languida functionem continuò imminui, ac nunquam erroneam euadere arbitramur; quotidie enim actiones

cuiuslibet generis infirmissimæ, & tamen nullatenus deprauatæ conspiciuntur: tremorisque exemplum non quadrat, quod tremor motus sit mixtus, partim à caducâ vi motrice, partim à naturali partis grauitate: σειώσεις autem quantumvis manca atque defectiua à sola facultate rectrice obeatur, nullo interueniente motore externo: deinde etiamsi inidonea illa tremoris comparatio admitteretur, tamen obiecta facilia atque analoga menti debiliori proponi possunt, imo obiecta modulum animi excedentia nullam rationi adiicient prauitatem; sed mera inde exurget rerum cognoscendarum ignorantia, quæ à delirio longissime distat. Itaque spiritus animales si perpauci fuerint, in vacuo ac inani cerebri spatio ampliùs quam decet, commo-

ueri, ſicque deſipientiam adducere probabilius nobis videtur, vt in decrepitis ſenibus, ac iis qui morti finitimi ſunt.

Ad cauſas deſipientiæ externas pertinet mirabilis Hiſtoria ab Aretæo relata de fabro: *Qui domi prudens erat operator, ac in loco vbi arte ſua fungebatur, mente conſtabat; ſtatim autem ac inde diſcederet, inſtrumenta deponens primò ſuſpirabat, deinde egrediens humeros conſtringebat; poſteà cum è ſeruorum, fabricæ, locique illius conſpectu abiiſſet, tum inſaniâ penitus vexabatur; quod ſi ad eumdem locum celeriter recurriſſet, iterum ad ſe redibat: hæc erat inter locum illum & viri mentem cognatio.* 1. de cauſ. & ſign. diur. 6.
Delirium ab interioribus cauſis natum, vel eſt cum febre, vel ſine febre; illud ſi fuerit ſympathicum, paraphroſyne dicitur; ſi idiopathi-

cum, phrenitis. Delirium verò ſine febre aut eſt melancholicum cum timore & triſtitia, aut maniacum cum audaciâ & furore.

Signa delirij è quadruplici fonte hauriuntur. Primò ex diſſimilitudine morum, qui à naturâ non longè abeuntes deſipientiam minitantur; ab eâ verò plurimum deſciſcentes, ægrum mentis valetudine iam teneri commonſtrant: Vt ſi quis ſui amans, nunc ſe negligat: ſi liberorum reique familiaris aliàs ſollicitus, curas ponat domeſticas: ſi ſolitò magis vel mœreat, vel lætetur: ſi ex miti fiat ferox, iuxta illud Hippocratis ἐκ κοσμίου θρασεῖα ἀπόκρισις, κακόν. *Moderati hominis audax reſponſum, malum.* Nam vt arrogantis ac proterui blanda reſponſio cataphoram intentat, ſic compoſiti atque modeſti dura ac immodeſta reſponſa,

in Coac.

reſponſa, ſunt παρακρουστικά. Impudica quoque loquacitas in homine pudibundo deſipientiam indicat, vt in Thaſia muliere, item in illo ægr. 11. adoleſcente quem ſcribit Hippo- ſ. 3. l. 3. Epid. crates ἔκτοπον ἀκόλαστον, id eſt impu- 4. Epid. dentiſſimo modo deliraſſe. Ac in genere: *Si quis ea faciat, quorum eſt* in coac. *inſolens, vt ſi appellat animum ad inſueta; aut contrà, prauum ac delirio proximum.* Actionum enim non conſuetarum nouitas, aut ſolitarum ſine causâ omiſſio, labaſcentis mentis argumentum eſt. Mores autem duplices ſunt inſiti & inſtituti; illi quia temperiem neceſſariò ſequuntur, ſunt mutabiliores; hi quoniam per philoſophiam acquiruntur, non pendent per ſe à temperie; ſed apud animum habitant, & vt ardua eſt eorum comparatio, ſic difficillima depulſio; ideóque plus poteſt mo-

rum aſcititiorum quàm ingenitorum innouatio ad diagnoſin delirij.

Secundò delirium petitur ab ἀναισθησίᾳ laborum: Nam quemadmodum externati fictitiis ſenſibilibus circumueniuntur, ſic ad vera obiecta obſtupeſcunt, propter peregrinantis mentis inconſiderantiam: hinc Hippocrates: *Qui parte aliquâ*
2. aph. 6. *corporis dolentes, dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat.* Notandumque non dici ab Hippocrate quibus mens ægrotat, dolorem non ſentire, eò quod dolor adeo ſæuus eſſe poſſit, ac morbus mentis ita leuis, vt dolor neceſſariò percipiatur.

Tertiò deſipientia detegitur rerum propinque dictarum & factarum repentinâ ac extraordinariâ obliuione, per quam æger eadem

verba ſępius repetit, inchoatamque orationem narrando pertexere non recordatur: dummodo iſta memoriæ labefactatio accidentaria ſit, ob intercurrentium phantaſmatum turbam atque colluuionem à volucribus nimium atque efferatis ſpirituum animalium motibus ſenſum auocantibus; ſecus ἀμνημοσύνη collapſo memoriæ domicilio ac per ſe adueniens, delirij index non eſt, cùm multis memoria intercidat, abſque vlla deſipientiæ ſuſpicione.

Denique omnis actio arbitraria quæ citrà cauſam euidentem vel deficit, vel exuperat, vel indecenter fit, delirij notis annumeratur, vt pertinax ſilentium potiſſimum in homine loquaci: λογοδιάῤῥοια maxime in taciturno: oblatorum repudiatio, præſertim dum ægri labra mordent poculorum atque

cochlearia, si quis cibum velit immittere: verendorum denudatio: itẽ inuolare in assidentes, aut etiam crudelius quid attentare, sine ratione surgere, aut lectum immutare velle; ita apud Hippocratem
1. prorrh. frequens screatus sine necessitate delirium designat, sicut & crepitus, in homine vrbano & εὐπρέπειαν colente, coràm iis quibus reuerentia haberi debet; nisi forsan intestinum dolore contractum flatus inuoluntariè exprimat. Si quis etiam per morbum nares infodiat, non à consuetudine, aut à falsâ destillatione in nares, non quòd vermiculosus sit, aut vibrissis longioribus titilletur, nec propter imminentem hæmorrhagiam; Hæc, inquã, si excludas, deliriũ portenditur. Lingua quoque, seu dũ exeritur, seu dũ loquelę gratiâ mouetur, cõtremiscẽs,

ſi modò tremor iſte, nec peculiari linguæ morbo fiat, nec ab oppreſſione aut exolutione virtutis motoriæ naſcatur, veſaniam denunciat, γλῶσσαι τρομώδεες σημεῖον οὐχ ἱδρυμένης 1. prorrh. γνώμης : tales enim linguæ vel à mente malè ſanâ reguntur, vel ob immodicum calorem irrequietæ ſunt, ac cerebri feruorem deſipientiæ parentem connotant. Idem dicendum de ἀτόπῳ κατακλίσει inhoneſto decubitu, vbi æger non propter conuulſionem; ſed voluntariè atque ex compoſito ſupinus ia- in prog. cet crura habens, vt ait Hippocrates, contracta valde ac implexa. Similiter apud eumdem Hippocra- ibid. tem: *In ventrem cubare eum qui dum ſanus eſſet, non ita dormire conſueuerat, aut delirium, aut dolorem circa ventrem ſignificat.*

Huc refertur manuum geſticu- in prog.

7. Epid. ægr. 62. latio quam φορὰν χειρῶν, & χερσὶ πραγματεύειν dixit Hippocrates; qualis eſt linteorum & operimentorum indecora, nec neceſſaria collectio, aut vbi æger cœcorum more ſuſpensâ manu ac cum palpo aliquid veſtigat, 1. prorrh. ψηλαφώδης παράκρουσις dicitur; aut inani operâ muſcas venatur, de pariete ſtipulas legit, tomentum & flocculos à ſtragulis detrahit, in progn. quod θηρεύειν διὰ κλινῆς, καρφολογεῖν, κροκιδίζειν & κροκιδολογεῖν appellat Hippocrates; lib. 7. cap. 51. Plinius fimbriarum curam & ſtragulæ veſtis plicaturas nominat; æg 15. s. 3. lib. 3. Epid. ſic Dealcis vxor palpabat, vellebat, ſcalpebat, pilos carpebat, ab aduſtis videlicet fuliginibus, muſcarum, feſtucularum, filorum, pilorumve figuram referentibus, quæ inter ceratoëidem tunicam & cryſtallinum humorem contentæ, imaginatricem

iam nugantem deludebant, itavt quæ intus essent, foras versari diiudicaret, secus ac in merâ suffusione quæ error est solius ὀρατικοῦ, minimè verò τοῦ φανταστικοῦ.

Delirium insuper edicunt oculorum motus nec conuulsione, neç tremore, sed voluntatis imperio deprauati: Nam quemadmodum datur ἔμβλεψις ἐμφρονώδης aspectus bene compositus, liquidum tranquillumque animum arguens; sic ὀμμάτων θράσος est παρακρουστικὸν truculentus fixusque contuitus delirium prænunciat, vt etiam oculorum ῥίψις inconstans volubilitas per quam circumspiciunt ægri, & varios quoquouersum cient coniectus. *Si oculi*, inquit Hippocrates, *crebros habeant proiectus, insaniæ spes est*. Nam cum proximi sint cerebro, ac venis, arteriis, neruis,

7. Epid. 9.

p. 19. s. 1. lib. 6. Epid.

1. prorrh.

membraniſque cum eo ſociati, ſolent primi inter ſenſus ipſi laboranti συμπτιμωρεῖν, *quæ communia ſunt & vicina*, aiebat Cous noſter, *primum & maximè vitiantur*. Vnde appoſitè oculi cognominantur Mentis ſpecula: *Oculos*, enim, *natura nobis vt equo & leoni; ſetas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit.*

lib. de humor.

Cicero 3. de Oratore.

Poſtremò prætermittenda non eſt Hippocratis obſeruatio ex inſomniis deprompta, nempe *ſi quis ſomniet aſtra à perſequentibus in fugam verti, eáque fuga cita ſit, inſaniæ periculum impendêre niſi præcaueatur.*

l. de inſomn.

Quia autem è præfatis placitis Hippocraticis, quædam videntur imminentes tantùm ſignare deſipientias; animaduertendum eſt, ſuperbas, verbi causâ, manſueti

hominis reſponſiones & oculos truces ac immotos, vel etiam incontinenter iactatos, ita teſtari incipientis delirij præſentiam, vt futurum eius incrementum ſimul præſagiant, ad quod vtpote periculoſius præcipue reſpexit citatis locis Hippocrates. Nam, docente Galeno, ſigna pathognomonica affectus alicuius naſcentis, prognoſtica ſunt eiuſdem adulti & ætatem nacti. 2. prorrh. 9.

Delirij prognωſis ex eius ſpeciebus eruenda eſt. Itaque nunc ſufficiat generale Hippocratis theorema; *In omni morbo mente valere, bonum.* Nam quò plures facultates offenduntur, eò res ægri peiore ſunt loco: Adde quod mentis impotes Medicorum mandatis minùs obſequantur. 2. aph. 33.



DISSERTATIO PATHOLOGICA.

DE PARAPHROSYNE.

Παραφροσύνη à recentioribus inaudito apud Antiquos vocabulo, paraphrenitis & paraphenisis appellatur, quas voces alij ad delirium diaphragmaticum veræ phrenitidis æmulum restringunt.

Paraphrosyne aliquando accipitur vniuersim pro quâcumque desipientiâ, stricte vero & propriè est Delirium sympathicum à feruentissima præcordiorum, totiusve corporis ad cerebrum exspiratione

progenitum. Ab eiuſmodi namque halitu cerebri corpus ſimulque ſpiritus eius animales præter naturam exardeſcunt : vnde mens in falſa quædam ac fictitia traducitur ; quodque diligenter notandum eſt, æſtuoſus vapor non ſolum ſuo calore ſpiritus variè impellendo ; ſed potiſſimùm dum in cerebro volutatur, ſpiritus quibus commixtus eſt ſecum rapiendo, horumque puritatem inquinando, delirium procreat. A mero etenim calore paraphroſynem oboriri poſſe credibile non eſt, cum ſæpe per febrem tepidiorem ſacra rationis prophanentur ; flagrantior vero febris in qua cerebrum magis incanduit, nullo ſtipata ſit delirio, quod nempe in illa nocuis exhalationibus caput petatur, in hac non item.

Quidam arbitrantur ſi ſpiritus

vitales fuerint feruidiores, quàm vt à cerebro dum in animales conuertuntur, satis refrigerari queant (seu tales sint propter firmatam cordis intemperaturam calidam, seu propter exuperantem caliditatem hepati altè infixam, vnde sanguis calidior pro conficiendis spiritibus vitalibus cordi suppeditatur) deliriũ necessario induci, non πρόσκαιρον temporarium, ad exigui vsurã temporis, sed indesinens atque cótinuũ cerebro interim nec per essẽtiã, nec per cósensum, sed dumtaxat ob errorẽ externũ laborante; sicuti enim ventriculus carnes crudas, integrumque triticum non subigens iniustè culparetur; ita cerebrum pro insonte habendum est ex ineptâ materiâ illaudabiles spiritus animales elaborans; hancq; suã sententiã confirmare nituntur, de-

licij melancholici exemplo, cordis ac maſſæ ſanguineæ labe oriundi.

Verum diſpar eſt ratio melancholiæ & paraphroſynes; ad illam enim ſufficit ſpirituum animalium tenebricoſa opacitas, quàm à ſpiritibus vitalibus è quibus fiunt, abunde mutuantur: huic autem gignendæ ſatis non eſt nudus ſpirituum animalium feruor, quippe qui homines inconſtantes quidem atque præcipites, non verò deſipientes efficiat, niſi aliena materia affuerit ſpiritus animales contaminans.

Anathymiaſes ληροποιοὶ ad rationis arcem obrepunt vel ab inteſtinis verminantibus aut ileoſis; vel ab impuro vtero, vel ab inflammatis partibus internis, vt pulmone, iecore, diaphragmate; vel in febrium intermittentium paroxyſmis ab earum foco; vel à toto 7. aph. 10.

corpore, vt in augmento ac vigore, ac interdum etiam in principio febrium continuarum. Docebat quondam Plato ſeptum tranſuerſum cerebro viſceribuſque naturalibus, quibus anima brutalis tanquam ad præſepe vincta eſt, fuiſſe interpoſitum, ne rationis domicilium ab iis violaretur; ſed iſtud debet intelligi de ſtatu hominis naturali, non morboſo.

In Timæo.

Cauſæ efficienti adiicitur cauſæ ſuſcipientis diſpoſitio, eaque duplex generalis & ſpecialis: Nam in genere cerebrum etſi temperie donatum algidiore, promptè tamen incaleſcit ob infirmitatem mollitiei iunctam; tenerrima enim non minus intra quàm extra corpus & gelantur facilè & vruntur. In ſpecie verò deſipientia frequentius appetit iuuenes, bilioſos, iracundos,

ſtudioſos, caput naturâ vel caſu inualidum habentes; curâ, exercitio, ac præſertim inediâ vexatos, iuréque his conſulit Hippocrates vt pleni potius quam ieiuni gerant negotia; mixto enim familiari alimento ſtabilior redditur anima, quàm dum cibi indiga eſt. Leues etiam ac turbulenti homines vel paruis occaſionibus, firmi verò & conſtantes nonniſi magnis de cauſis deliri fiunt, ex Galeno. Quamobrem quærens in problematis Ariſtoteles cur in locis calidis homines ſapientiores ſint quàm in frigidis; Reſpondet illos eſſe prudentiores ob frigidas magis interiores mentis ſedes. Docet quoque Hippocrates τὸ ἀσαρκεῖν ad prudentiam conferre, quod ad carnis εὐεξίαν, καύματος φλεγμονὴν accedere neceſſe ſit: eademque ratione carnium eſum, in-

lib. 1. de diæt.

hiſt. vlt. l. 3. l. 3. Epid.

4. probl. 15.

l. 1. de diæt.

ter deſipieutiæ cauſas recenſet.

Cauſa adiuuans Paraphroſynes eſt nocturnum tempus vaporum præpediens difflationem; ac obſeruare eſt in febribus, deliria de nocte præſertim vigere; quod mirus Hippocrates iam pridem notauerat αἱ νύκτες μᾶλλον σημαίνουσιν, ἢ αἱ ἡμέραι τὰ περὶ τὴν παραφροσύνην; *Noctes magis quàm dies delirij ſignificationem præbent.*

4. de diæt. acut.

Ad hæc delirium ab occultâ ac venenatâ qualitate infertur; ſic Antoniani milites per loca ſquallentia è Parthia redeuntes ac propter commeatus penuriam inſolita guſtare coacti, herbam attigerunt quæ lethiferam concinnauit inſaniam, ſic vt veſcentes, omnium rerum memoriâ atque notitiâ penitùs orbarentur, ipſiſque vnus labor incumberet lapidem mouere omnem,

Plutarchus in Antonio.

nem, ac verſare, quaſi rem magni momenti molirentur. Plenus campus fuit humi inclinatorum ſaxaque eruentium ac tranſportantium, moxque bilem conuomentes moriebantur, cui malo ſolum vinum fuit ἀντιπαθής.

Deliria ſunt vel μετὰ γέλωτος cum riſu; vel μετὰ σπουδῆς cum ſtudio, qualia artificum tanquàm apud ſe eſſent de arte ſua diſſerentium: Illa à ſanguine excalefacto: hæc à bile oriuntur, ſuntque in meditullio poſita deſipientiarum feſtiuarum atque ferocium ab atra bile originem ducentium per quas ægri notos ignotoſque temerarie adoriuntur.

Sanguis autem eſt γελωτοποιὸς geminam riſus cauſam, gaudium ſcilicet & admirationem accerſendo. Gaudium quod attinet à ſplendore

ſanguinis excalefacti, ſpiritus redduntur lucidiores, vnde inſtante hæmorrhagiâ, λαμπεδόνες πυκναὶ καὶ πυρώδεες ſcintillarnm micæ ac ignei circuli oculis offeruntur, auctoque ſpirituũ fulgore, conciliatur hilaritas: Nam ſi lux externa ſpiritibus animalibus ὁμοιόσφυλος atque conſocialis nos lætificat, & publica oblectamenta accenſis facibus ac compitalibus ignibus celebrari ſolent, quantò efficaciùs lux interna animum recreabit? ſicut è contrario non ſolùm externæ, ſed multò magis internæ ſpirituum animalium tenebræ in melancholicis irrationalem mœrorem imprimunt; quo pacto ſplen ridere facit, nempe ex euentu ſanguinem faciendo illimem.

Admiratio verò ignorantiam
12. qu. 32. art. 8. ſequitur; nam vt ait Thomas: *De-*

ſiderium ſciendi ortum ex viſione effectus, & ignorantiâ cauſæ, eſt admiratio. Ac licet obiectum delirij in ſe nouum non ſit neque inſuetum, à mente tamen deprauata velut inſolens apprehenditur. Nec eſt quod quis obiiciat riſum igitur fore omnis delirij aſſeclam; nam admiratio non eſt adæquata riſus cauſa; ſed lætitia inſuper requiritur quæ in nullâ reperitur deſipientiâ præter ſanguineam.

Prætereà ſi obiecta mentis ſpectemus, vt illa ſunt innumera, ſic infinitæ exurgent deliriorum differentiæ, inter quas illæ præ cæteris conſiderandæ veniunt, quæ circà res nonnaturales, putà aërem, cibum, potum, retenta & excreta verſantur: vt quando ægri ardenter febricitantes magna & rara vtuntur reſpiratione; citra ἀποσιτίαν ſunt

ἄποτοι ; in cauſa ſitiferâ prægrandi ſunt βραχυπόται ; atque excrementa alui aut veſicæ vel retinent diutius, vel indecorè extrudunt.

Atque vt delirantium reſpirationem paulò fuſiùs exponamus, hi ſui negligentes ſunt, nec eorum voluntas antè ſeſe erigit ad functionem quàm acrior ſenſio excitata fuerit in phantaſia per incrementum neceſſitatis; vnde nonniſi impendente ſuffocationis metu reſpirant, huiuſque reſpirationis raritas magnitudine compenſatur, naturâ intermiſſionis diſpendium reſarciente: quod enim intenta alibi mens opus reſpirationis rariùs exequatur, irati monſtrant & mœrentes, & idiotę ad ſpectacula ſuſpenſi, & amantes quorum ſpiritus gemebundus eſt.

Notandum autem non omni

deliranti πνεῦμα inesse μέγα καὶ διὰ πολλοῦ, sed καθ' ὑπόθεσιν, nimirum si magna fuerit exspatiantis mentis μετεωρία, visque mouens robusta fuerit, cum obedientiâ organorum spirabilium ; potest namque tam parua esse mentis paulisper læsæ digressio, vt respiratio indelibata maneat ; potest quoque alia affectio delirio complicari, quæ ipso potentior sit ad peruertendum respirandi ordinem, vt virium iactura, & angustia, dolorve in membris spiritalibus : his namque de causis cùm pectus sufficienter distendi non possit, crebritas adiungitur, quæ magnitudinis defectum suppleat. Itaque vigente solo delirio, spiritus magnus est atque rarus ; vrgente solo dolore partium thoracicarum parua & frequens est respiratio : delirio & affectu dolorifico simul co-

euntibus, ſpiratio inæqualis redditur, nunc magna & rara, nunc parua & frequens pro alterutrius cauſę dominio: quamobrem in libris Epidemicis multi ægri deſipuiſſe leguntur, qui tamen ſpiritum magnum, & ex longis interuallis non duxerunt.

Hæ porrò reſpirationis, famis, ſitis, excretionum, cæterarumve operationum animalium prætermiſſiones ad μνημονικὸν ἁμάρτημα falsò reduci conſueuerunt, cum vis imaginatrix iſtis actionibus det operam, non interueniente memoriâ; hæc enim circà res præteritas, priúſque cognitas, minimè verò circà præſentes occupatur; ac idcirco quibus memoria citrà deſipientiam proflua eſt, ij memorata ſymptomata haud patiuntur. Galenus ergo delirantes tardius reſpi-

rare, vrinamque emittere ſcribens quia obliuione tenentur, nomen obliuionis non ſumit pro priuatione actus memorię, ſed καταχρηστικῶς, & iuxta politicum dicendi modum, communeque, vt aiunt, forum, pro inconſiderantiâ phantaſiæ quæ præſentia obiecta non animaduertens ſui muneris obliuiſci, hoc eſt eo non fungi dicitur: hancque eſſe Galeni mentem liquet ex lib. 2. de cap: 2 dyſpnœa, vbi magnam raramque delirantium ſpirationem non obliuioſæ, ſed velut obliuioſę actionis affectum eſſe docet; *Etenim*, ait, *immoderatam facere ſpiritus attractionem, rurſuſque immoderatam quietem, eius eſt qui neque quando deſinere actionem oporteat, nouit; neque quando rurſus incipere, ſed in vtriſque menſuram egreditur* ἀγνοίᾳ τοῦ προσήκοντος *propter ignorantiam eius quod fieri con-*

cap. 11. *ueniens est.* Ita lib. 1. de dyſpnœa actionum arbitrariarum omiſſionem ad νόος ἀμέλειαν retulerat. Nec Gręcis modo, ſed Latinis etiam atque Gallis recordari pro cogitare

l. 3. c. 5. eleganter accipitur. Apud Curtium Alexandri milites, moribundum Regem ſui immemores querebantur, id eſt ad res ſuas non attenti; & vir Gallicę eloquentię laude clarus

dans l'Hiſtoire d'Auguſte. Couëffetęus mortem Bruti enarrans; *Ses ſoldats*, inquit, *voyant ce triſte ſpectacle, & ſe reſſouuenant qu'ils n'auoient plus de Chef*, id eſt, *conſiderant ou penſant.* Quinimò obliuionis nomen ad facultatum quoque naturalium ignauiam transfertur; Nam ventriculum, dum propter coquendi deſuetudinem ex longâ inediâ contractam cibos ingeſtos non mitificat, ſui officij oblitum communiter dicimus, quo

ſenſu ſcriptum eſt à Galeno oxy- 6. aph. 1.
regmiam lienteriȩ ſuperuenientem
ſignum eſſe ἀναμιμνήσκεσθαι τῶν οἰκείων
ἔργων τὴν φύσιν, *naturam ſuorum operum reminiſci.* Aurelianus quoque
recorporatiuis, inquit, *vtendum curationibus quò reformata corpora, vel* 3. tard. paſſ. 6.
vt ita dixerim reſectis vitioſis carnibus, ac renaſcentibus bonis reparati, ad memoriam redeant ſanitatis. Quodque
Aurelianus dixit de ſanitate, Galenus de morbo pronuntiauit, in
conſilio de puero Epileptico, vbi
cauſas enarrat, quibus fit ἀνάμνησις
epilepſiæ, huiuſque affectionis memoria quaſi refricatur.

Sed progrediamur ad alia. Differt paraphroſyne à phrenitide,
quod illa ſympathica ſit, hęc idiopathica: illa nuſquam θηριωδῶς infeſtet; nulla etenim datur exhalatio ſatis mordax vt ferinum cieat

delirium, hæc ferociter ſęuiat propter humoris bilioſi feritatem: Illa derepente ingruat ac ſoluatur, hęc paulatim generetur ac pellatur: Illa denique crebro, nec ita pernicioſe aggrediatur, hęc rariſſima exiſtat, atque exitialis. Addunt vulgo iugem eſſe phreniticorum deſipientiam, etſi modo increſcat, modo decreſcat pro maiore aut minore phreniticę bilis exacerbatione; At παραφρονοῦντας per interualla intra rationis ſepta reuerti, quod in febris laxatione, ſi quę euaporatio conſcendat ſurſum, ea & parcior ſit & mitior quàm vt mentem tranſuerſam agere valeat. Verumtamen ſignum iſtud ſubleſtæ eſt fidei, quoniam febris continua tam intenſa ſuccendi poteſt, vt in ſuis quoque remiſſionibus halitum γνώμης παράφορον ad caput euehat. Deinde quia

ſi febris eodem currat tenore vt ſynochus ὁμότονος, ac multò magis ſi vires eundo acquirat, vt ſynochus ἐπακμαστικὸς, perennem excitari παραφροσύνην nihil impedit: Vſu tandem quotidiano compertum eſt non paucos febricitantes plurium dierum, ac interdum ſeptimanarum ſpatio ſympathicâ deſipientiâ detineri.

Paraphroſyne plus ſæpe terroris præbet quàm periculi, ac præcipue Nugatoria dementia, atque iocularis, ſeriâ tutior eſt apud Hippocratem; illa enim à causâ magis beneuolâ ſanguine ſcilicet, hæc à deteriore humore, nempe bile flauâ ſoboleſcit; ſic pleuritides ſanguineæ à Galeno clementiores æſtimantur. Sed quid ad Silenum qui cum riſu deſipiens, vndecimâ die interiit? Placet doctiſſimis in-

6. aph. 53.

p. vlt. ſ. 3. l. 6. Epid.

ægr. 2. ſ. 3. l. 1. Epid.

terpretibus hunc riſum non verum fuiſſe ex animi motu concitatum; ſed vel impotentiam quamdam continendi ſeptum tranſuerſum propter huius partiumque vicinarum calorem (ſicuti calefacto per titillationem diaphragmate, riſum prouocari traditum eſt ab Ariſtotele) vel potiùs ob conuulſiuam motitationem ipſius ſepti à bilis ipſum pungentis acrimoniâ; haud ſecùs ac eo vulnerato mediantibus neruie è tertiâ & quartâ vertebrâ quos habet cum labiis communes, riſus inſpontaneus, & quidem lethalis ſuperuenit. Nos verò cum tantorum virorum veniâ exiſtimamus, hunc Sileni riſum fuiſſe προαιρετικὸν, nec à conuulſione; ſed ab animi delirantis arbitrio profectum, vt ſatis patet ex cantu comite, neque tamen aphoriſmi auctoritatem in-

3. de partib. anim. 10.

de eleuari, quia Hippocrates non abſolute commendauit ludicrarum deſipientiarum ſecuritatem, verùm comparatè ad eas quæ fiunt cum ſollicitudine; deinde non toto morbi decurſu, ſed tertio ſolùm die in eiuſmodi riſum erupit Silenus. Denique etſi deliria iocoſa ex ſe vacarent omni prorſus diſcrimine, aliis nihilominus funeſtis ſymptomatis coniungi poſſunt, qualia apparuêre in Sileno.

Deliria circa res neceſſarias peſſima ſunt, apud Hippocratem: potiſſimùm circa aërem, cibum & potum: Nam talia deliria & ſigna ſunt & cauſæ: ſigna mentis multùm diuagantis: Cauſæ verò cur ægri eorum egeſtate reſoluantur, ſine quibus vita retineri non poteſt. in coac.

Obſcura deliria cæteris periculoſiora ſunt, vbi nempe ægri ora-

tione quidem cohærente loquuntur, ſed geſtu, oculis, aut aliis ſenſibus aberrant; & quæ non ſunt audire ſe, odorari, vel aliis ſenſibus ſe percipere affirmant.

Peſſimus eſt tranſitus τοῦ παρακρουστικοῦ ἐς τὸ φρενιτικὸν affectus ſympathici in idiopathicum.

Delirium ſomno ſedari vtile eſt; ex
2. aph. 2. Hippocrate, propter edomitam à refluo calore delirij materiam, vel eamdem mitigatam ab anathymiaſi ſomniferâ; quod ſi materia malignior fuerit quàm vt euinci queat, ſomnus cerebrum implendo delirium auget.

Deliria obſeruantur quandoque
p. 12. ſ. eſſe critica: nam Hippocrate ita
3. l. 6. Epid. ſtatuente: *Non modo laterum dolores, ſed etiam febres delirantibus ceſſant.*
ægr. 7. Sic Meton ex morbo acuto iudica-
ſ. 3. l. 6. Epid. tus, per quem à delirio immunis

fuerat, ſine febre per aliquot dies deinde deſipuit. Quanquam enim iuxtà conſuetas naturæ leges, ſalutaris humorum tranſmiſſio fieri debeat è particulis nobilioribus atque validioribus, ad ignobiliores & debiliores; tamen ſicut in bonum vniuerſi grauia interdum aſcendunt, & leuia deſcendunt; ita quandoque legitimus ordinarię διαδοχῆς modus in hominis commodum à natura corporis noſtri gubernatrice inuertitur. *Morbi*, inquiebat Hippocrates, *à robuſtis membris ad* 2. de nat. hum. 11. *imbecillima tranſmigrantes, ægre diſcutiuntur: qui verò ex infirmioribus, ad valentiora permeant, ſuperantur facilius.* Quod affluentes humores partium robore excludantur, vel, vt mauult Galenus, concoquendo & comm. in hunc locum. digerendo abſumantur: quare non per ſarcaſmum (veluti ſimul & ſe-

mel homo de medio tolleretur iuxta vulgatam loquendi formulam quâ ægrum dicimus à malis omnibus liberatum vbi fato cessit) non, inquam, per ironiam; sed vere edictum istud à Medico Legislatore
6. aph. 26. sancitum est: *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirium soluit.* Tremores enim indicant materiam febrificam per neruos ad cerebrum euehi, deliriique aduentus salutaris esse, ac causo mederi potest.

Postremò nonnulli è delirantibus subitò resipiscentes; imo multò solertiores quàm antea facti, postquàm graues de humanis diuinisque rebus habuerunt sermones, statim animam efflant. Nam ex vnâ parte remisso febrili calore, turbata cõpescitur spectrorum phantasticorum motio; hinc delirium desinit;

ſinit ; ex alterâ verò moribundus natiuus calor vltimos apponit conatus , hinc ſumma micat iudicij claritas: ſic lucerna extinctioni proxima flammas congeminat , & quotidie obſeruantur ægri ἐπανενεγκάντες θνήσκειν, vt loquitur Senex noſter, vbi ſeſe recollegerint ac reſtitui videntur, mox è viuis egredi. in coac.





DISSERTATIO PATHOLOGICA.

DE FVRORE VTERINO.

in Phædro.

PLato duas maniæ ſpecies celebrat, vnam ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων ab humanis morbis, alteram ὑπὸ θείας ἐξαλλαγῆς à diuina alienatione; huius iterum quatuor conſtituit partes quibus totidem Deos præponit, ac μαντικὴν ἐπίπνοιαν tribuit Apollini, τελεστικὴν Dionyſio, ποιητικὴν Muſis, ἐρωτικὴν Veneri & Amori, hancque omnium optimam eſſe docet.

De furore Venereo ſeu Amato-

rio non Platonicè, ſed Medicè hîc diſſerimus, quatenus morbi fœtura eſt. Eiuſmodi furor à membro principaliter affecto, ſcilicet vtero, vterinus, Græcis μητρομανία dicitur. Sunt qui νυμφομανίαν vocitent; ſed impropriè, quod cutacea illa pudendi muliebris epiphyſis quam νύμφην & τὸ μόρτον appellant, verum non ſit huius paſſionis ſubiectum: attamen Nymphomaniæ vocabulum admitti poteſt, eo ſenſu quo veteres Anatomici Clitoridem Nymphæ nomine donabant: clitoris enim qui Veneris aculeus eſt, in hoc affectu manifeſtè tumet atque incaleſcit.

Definitur Delirium ferinum ſine febre effrænem ac inexpletam Veneris appetentiam inducens. Cum maniâ conuenit conturbatæ mentis ſæuitie, & ἀπυρεξία: ſed ab illa

ſeiungitur quod non ab atrâ bile; ſed à ſeminis feruentioris plethorâ ducat originem, quodque deſipientia pro halituum è ſemine euectorum ac imaginationem pulſantium conditione, circà rem veneream peculiariter verſetur, ita vt petulcæ ægrotantes nihil aliud vel loquantur vel cogitent.

Cauſa proxima non eſt putridum ſemen vt in hyſterico pathemate, ſed genituræ incorruptæ quidem, at vberioris & acrioris, in vaſis vterinis orgaſmus, hinc enim vterus, parteſq; ipſi annexę cùm internę tùm externę, & pręcipuè clitoris φλόγωσιν concipiunt, ac cerebro per medios vapores in συμπάθειαν tracto, fœmina dementatur, & furioſarum libidinum æſtu percellitur.

Cur ſola mulier hocce furore crucietur, virque ab illo immunis

viuat, quanquam ſemine prȩditus multò actiuiore, duplex eſt ratio: prior ex parte τοῦ ἐπιδεκτικοῦ, id eſt cauſæ ſuſcipientis, quod vir ſui potentior ſit, fœmina verò, iudice Hippocrate, ſit ἀθυμοτέρη καὶ ὀλιγοτέρη, puſilli demiſſique animi: poſterior ac præcipua ex parte τοῦ ποιητικοῦ, hoc eſt efficientis cauſæ, quod virile ſemen in veſiculis ſeminariis ac proſtatis glanduloſis ad vtriculi vrinarij ceruicem ſitis, tanquam in penu ac promptuario aſſeruatum, inde ad caput non commodè vaporet, nec iſtis particulis res ſit cum cerebro: Mulieres autem eiuſmodi veſiculis ac proſtatis deſtituantur, quarum quippe vaſcula eiaculatoria non ad veſicæ collum tendant vt in maribus, ſed ad vuluam cuius præſigne eſt conſortium cum cerebro. Quemadmodum ſonus ſe-

libel. de morb. virgin.

cundùm trabis ductum procul & rectà excurrit, ac fumus iuxta pali erecti longitudinem alte effertur; ſic per continuitatem ſpinalis medullæ, cui vterus robuſtis connectitur ligaminibus, expedita eſt fuliginum ex aruis muliebribus ad cerebrum ἀναῤῥοπία.

ibid. Hippocrates, ſi vulgo credatur, hunc morbum oriri ait à ſanguine menſtruo, qui in virginibus viro maturis effluuio carens, ad cor & diaphragma præ multitudine regurgitat: vnde cor primùm infatuatur, indéque torpor, & ex torpore dementia inuadit. Satius tamen videtur textum iſtum de matricis ſtrangulatu vel de melancholico delirio, vel de vtriuſque affectus συμπλοκῇ interpretari, quàm de inſaniâ vterinâ, vt reuerà Hippocrates timoris à caligine nati eò loci

meminit qui melancholiam non furorem teſtatur.

Arbitrantur nonnulli in maniâ hyſtericâ, Veneris thyrſo mentem percuti, ob errorem externum, à nimiâ videlicet obiecti vehementiâ, vt fit in ira, amore, cæteriſque animi paſſionibus; quo pacto etiam animantes quibus toto anni curſu in Veneris conflictum prorumpere negatum eſt, accedente ſtatâ iugandi tempeſtate, maxima ſeminis ebullientis plenitudine turgent quæ ipſas furiare ſolet: proindéque nullas anathymiaſes è ſeminis minerâ ad μέρος διαγνωστικὸν importari autumant; ſed appetitum veneris naturalem qui in vtero poſitus eſt, vbi à ſpermatis copioſi atque præferuidi ſtimulo vltrà modum pungitur, appetitum animalem in cerebro tantopere commouere, vt

hic immoderatior factus, excusso rationis à qua compesci deberet dominio, eam secum abripiat,

Virgil. 1. Geor.

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Indéque in pudicis fœminis luctam fieri obseruant appetitus sensitiui & rationalis qui illius procellas pacare nititur, ac mulieres nimium coëundi desiderium præ pudore aliquamdiu occultare, donec tandem ratione subuersâ propudiosæ euadant.

Aliquis etiam opinari posset, ipsummet animalem veneris appetitum non cerebro inhabitare, sed vtero, quem ideò Plato ζῶον ἐπιθυμητικὸν vocauit, haud secus ac animalis cibi potusque appetentia in superiore ventriculi orificio collocata est; adeò vt metromania respondeat bulimiæ, vel siti immode-

ratæ à quibus delirationem longè abeſſe conſtat.

Verumtamen in hoc affectu τὸ φανταστικὸν καὶ τὸ ἡγεμονικὸν perturbari ex cogitationum, dictorum factorumque abſurditate liquidò colligitur; Nec idcircò furor vterinus, ſed ſimplex laſciuia fami caninæ meretur comparari. Certum eſt etiam iſtas facultates teneri deſipientiâ propriè ſic nuncupatâ potius quàm ob errorem externum ſolummodò deprauari; ſecus vix vllum vnquam dabitur deliramentum, ipſáque mania nihil aliud erit quàm prægrandis incandeſcentia rationem inundans. Igitur in furore vterino ægrotatio imaginatricis ac ratiocinatricis potentię cauſa eſt effrænati appetitus animalis, non è contrario, alitérque ſe res habet, quàm in effuſis animi pathematis;

hæc enim licet mentem extrà quadrum, vt loquuntur, promoueant; per ſe tamen & proximè non inſunt τῷ λογιστικῷ, ſed τῷ ἀλόγῳ animæ, neque ideò cadunt in virum ſapientem quem Philoſophia moralis appetitus ſenſitiui violentiam refrænare docuit; cùm Morboſa deliria ne fortiſſimis quidem, Stoïciſque hominibus parcant, quoniam à cerebri valetudine dependent, quæ rationis imperio non ſubiicitur; hancque ob cauſam in animi paſſionibus ſentiunt homines ſe vitioſè agere, nec in foro ciuili, ac multò minùs in foro conſcientiæ excuſatione digni ſunt: delirantes verò, ac ſpeciatim fœminæ ex vtero inſanientes ſe tranſuerſas raptari ignorant, inſonteſque meritò habentur.

Domicilium appetitus venerei

quod attinet, an illud in cerebro, an in membris procreationi dicatis aſſignari debeat, controuerſia eſt Phyſiologica non Pathologica, nec proinde huius arenæ.

Cauſa interna caloris & acrimoniæ in ſemine gemina eſt, partium ſeminis fabricationi deſtinatarum, teſtium nempe & vaſorum ſpermaticorum exuperans caliditas; ac ſanguinis è quo ſemen conficitur feruor immodicus vel per ſe, vel propter mordacium, ſalſorumque humorum mixturam. Menſtrua quoque non ex voto irrumpentia ad hancce inſaniam conferunt; ab his enim præſertim ſi calidiora fuerint, vterus vnà cum ſuis vaſis ac ſemine in ipſis contento efferueſcit: quamobrem appetente fluore menſtruali, mulieres magis ſubant ob voluptuoſum pruritum

ex pleniore ſanguinis ac ſpirituum aduentu.

Cauſæ procatarcticæ furoris hyſterici multiplices ſunt ἀπὸ τῶν διαιτημάτων ſiue ſex rebus nonnaturalibus mutuandæ. Primo cœlum æſtuoſum atque ſqualidum vt κυνοκαύματος tempore, cum ingenti Sirius æſtu terras adurit: Nam ſicuti, authore Philoſopho, viri ęſtate minus quàm hyeme ruunt in venerem, quod intenſus eorum calor diſſoluatur à caliditate ambientis: ita ex aduerſo mulieres per ęſtatem magis quàm per hyemem ad clinopalen inſtigantur, quia frigidius ac ignauius illarum ſemen ab ęſtiuo calore redditur actuoſum, ac per compenſationem contrarię qualitatis refouetur; ideóque Ægyptiacas fœminas, Veneris intantùm famelicas eſſe narrat Herodotus, vt

4. probl. 26.

in Euterpe.

cum hircis rem habeant: produnt quoque Hiſtoriarum Indicarum Scriptores Americum Veſputium ad quamdam noui Orbis oram appuliſſe, vbi mulieres libidini adeo erant deuinctę vt Bacchantum more in Nautas furerent.

Sed potiſſimum victus ratio eſt ἀφροδισιαστικὴ; vniuerſim quidem dapes ſaliares & opiparę, dapſiles ac Sybariticæ menſę, fercula ganeata iuxta Archeſtrati opſodędali, vel Apicij quem Plinius Nepotum omnium altiſſimum gurgitem appellat artem culinariam parata: mirumque philtra tam grauiter interdici, dum interim coquis permittitur, inquit Plutarchus, alimenta μαγγανεύειν καὶ φαρμάττειν. Priuatim vero inter irritamenta veneris languentis & acres diuitis vrticas numerantur, aromata omnia;

l. 10. c. 48.

lib. de ſan. tuend.

embammata; pulpamenta; tortiua
iura quibus ſucculentæ ac polytro-
phæ carnes infriantur; gallorum
criſtæ atque teſticuli; oua recentia
ac tremula; præterea panes azymi
(ſi Didymo credendum) ἐνεργητικώ-
2. Geopon. 3. τατοί εἰσι πρὸς τὰ ἀφροδίσια efficaciſ-
ſima ſunt veneris incitabula; item
aſparagorum turiones; echinatæ
ſcolymorum pineæ, eorúmque
thyrſuli; nuclei piſtaciorum; pinei
ſtrobyli; boleti; tubera, ac plera-
que legumina, vt piſa, fabæ, cicera
admiſſariis equis exhiberi olim
conſueta. *In genere quodcumque cu-
pediarum genus, omniſque ventris ſa-
turitas, ſeminarium eſt venerei amoris:
Nihil ſic inflammat corpora ac titillat
genitalia membra, ſicut indigeſtus cibus,*
in Ep. ad Furiam. *ructuſque conuulſus*, inquit B. Hie-
ronymus. Venter etiam meraco
præſertimque dentato ac καυστικῷ

exæstuans citò despumat in libidines: *Non Æthnæi ignes*, ait idem Hieronymus, *non Vulcania tellus, non Veseuus & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ*: Nec immeritò lasciuiæ iumentum frænis inediæ subiugandum esse alibi suadet. Quædam mulieres in ἔκστασιν vterinam illapsæ sunt propter vsum vini hippocratici cui aliquid boracis fuerat dissolutum. ibid. in Ep. ad Saluinam.

An inter venerea illectamenta sal veniat recensendus ambigitur. Non pauci contendunt, vt à ruta atque mentha, sic à sale ope caloris atque siccitatis genitalem succum consumi,

Vrunt res salsæ visum, semenque minorant. Schol. Salern.

Ita Abimelech Sichemorum vrbem expugnatam soloque adæqua- 9. Iudic.

tam conſperſit ſale, in perpetuæ infœcunditatis notam: ad cuius forſan exemplum hodierni Magiſtratus reorum læſæ Maieſtatis ædes demolitas ſale aſpergunt. Aliis placet quemadmodum ſal adeſo ſanguine per ſe emâciat; ſed per accidens pinguefacit alimentum ad partes deuehendo (nam Apollonius Herophili diſcipulus macros ægros ac inuberes cibariis ſalitis recorporabat, ac Hippiatri equos impinguant pauco ſale eſcæ admixto) ſic moderatam ſalis vſuram eſſe prolificam, quatenus ſanguinem ad ſeminis officinam deducit: Nonnulli denique à ſale ſemen quidem incendi; ſed eius copiam detrahi exiſtimant.

Nos plurimis documentis nixi, Veneris ardorem ſale proritari, virtutemque fœcundam ei ineſſe iudicamus,

camus, itavt Grammatici vocem ſalax à ſale non inepte deriuaſſe videantur. Nam lymphæ minerales ſale imprægnatæ à ſterωſι vindicant: aqua Nilotica quæ nitroſa eſt, multarum fœminarum viſcera, longiore præcluſa ſterilitate ad conceptum relaxauit: vena ſpermatica ſiniſtra ab emulgente exoritur, vt ſeminis materia ſalſuginis ſeri redderetur particeps, ac illi ſalaciores ſunt, quibus vtraque ſpermatica ab emulgentibus emergit: Naues ſale onuſtæ ſunt murium feraces; imo non deſunt Phyſiographi qui mures abſque maſculi operâ ſolo ſalis linctu impleri affirment: dato ſale canes ad generationem inertes catuliunt: Oues aquam ſalſam bibentes maturius coëunt ex Ariſtotele: ac Sacerdotes Memphitici libidinem fugaturi à ſale abſtine- 6. de hiſt. animal. 19.

in sympos. bant, authore Plutarcho: populosissima est piscium salum incolentium Respublica: Nec sine ratione Marini apud Ethnicos Dij omnium petulantissimi fingebantur, & Venus dicebatur ἁλιγενὴς saligena: stirpibus quoque propagandis sal conducit; hinc ἅλασιν ὕει apud Græcos dici solitum de summâ fertilitate, ac plantæ maritimæ præ cętetis luxuriant: aquę quoque ἀστραπαῖαι καὶ κεραύνιαι, quia nitro imbutę, irrigandis plantis sunt magis accommodatæ, docente Plutarcho, & (quæst. nat. 3.) Hippocrates ὕδωρ βροντιαῖον commendat: (p. 17. s. 4. l. 6. Epid.) Notum est in Liuonia succensarum syluarum cineres solere tritico conseri, lętasque meti messes: Nix suo nitro terris benefacit: agri stercorati fœcunditas sali quo fimus scatet, accepta fertur: (2. Reg. 2.) Elisęus fontem Iericonis sale fœ-

cundauit : Et Virgilius, Georg. I.

Semina vidi equidem multos medicare ferentes
Et nitro prius & nigrâ perfundere terrâ.

Sed nimiùm à littore receſſimus reducantur vela. Prȩter aërem & alimenta, Veneris illicium præbent ſomnus longior: ſupinus decubitus in culcitrâ plumeâ renes calefaciens, quod etiam prȩſtant arctiora lumborumc ingula: otium corporis & animi: ζεϛολυσία: familiaritas cum adoleſcentibus : vnde B. Hieronymus: *Cincinnatulos pueros & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas* vocat *peſtes ac venena pudicitiæ* : Obſcœna etiam ſpectacula ac Feſcennini verſus ſunt Veneris poppyſmata, ſopitamque Veneris flammam ventilant : vno verbo vita mollicula, deſes ac luxurio-

in epiſt. ad Demetriadem.

ſa: Venus tandem pręcox & immatura quę nondum confirmato iudicio cupiditati habenas laxauit; qua de cauſa vt ex Ariſtotele colligitur, 7. de hiſt. anim. 1. puellę temporius viro copulatæ vitam degunt incontinentiorem: quædam etiam hoc malo tactæ fuerunt ex concubitu cum viris qui maiorem illaturi voluptatem oleis calidioribus ac ſuaueolentibus veretrum inunxerant.

His omnibus addi debet fœminarum διάθεσις, ac primò quidem temperies non ſanguinea quę ſemen copioſum; ſed qualitatibus moderatum coaceruat, multò minus pituitoſa, ſed vel melancholica, vel bilioſa: Mulieres namque melancholicæ & ſeroſę ſunt & flatuoſæ, vnde ſeminalis humor à ſalſedine ſeri acuitur, & à flatibus turgeſcit: bilioſis autem etſi ratione

ſiccitatis, illiberalior inſit ſeminis abundantia, bilis tamen flammeſcens geniales igniculos accendit; vnde Poëtæ Marti Venerem coniunxerunt ob iraſcendi & concupiſcendi germanas vires, & quod Martiales viri plerumque ſimul Venerei ſint.

Secundò habitus conſiderandus eſt: nam vt carnoſæ pinguibus, ſic graciles carnoſis magis vruntur.

Tertiò ſtatura, in proceris ſiquidem minus quàm in paruis bulliunt libidinum incendia, quoniam in his & calor vnitus vegetior eſt, & propter parciorem nutricatum plus reſtitat ſanguinis in ſemen abituri: ita gibberoſæ atque claudæ libidini magis indulgent, quod ad membrorum debilium ac decurtatorum nutritionem paucus ſanguis ſufficiat; narrantque Amazonas ſo-

litas fuiſſe infantes maſculos exarticulare, non modò vt claudi nequirent inſidiari; ſed etiam vt in Venere magis valerent.

Quartò color cutis, & pilorum maximè in partibus pudendis cruribuſque luxuries: In illis enim quæ ex albo flaueſcunt, aut propter ſanguinis aduſtionem nigricant, ac pilosiores ſunt, ſcintillant magis ignes Cupidinei quàm in lacteis atque depilibus.

Tandem aphrodiſiâ lymphatione ſæpius tentantur puellæ viripotentes ὅσῃσιν, vt ait Hippocrates, ὥρεσι γάμου παρανδρουμένῃσι quibus inſtat nubendi tempus, cum mammę ſororiari, pecten lanugine veſtiri, mēſeſque primùm erumpere incipiunt, quapropter Ariſtoteles adoleſcentulas eo tempore diligenter cuſtodiendas eſſe monet: attamen

libel. de morb virgin.

7. de hiſt. anim. 1.

iuuenibus, vtvt plenis annis nubiles ſint, hac inſaniâ frequentiùs vexantur maritæ ἄφοροι, dummodò nihil aliud adiunctum ſit, quod venereæ procliuitati aduerſetur: item mulieres coniugatæ quarum exardeſcens libido ab ignauiore marito haud ſatis reſtinguitur: ac poſtremò iuuenes viduæ duriſſima ſuſtinentes caſtimoniæ prælia; nam oblectamenti anteacti memoria, calcar eſt amoris, reique notæ ac expertæ appetitione premuntur magis; quocircà virgines inſtar brutorum, moleſtiæ vitandę causâ, Veneris contubernium optant; mulieres inſuper μίξεως illecebris pellectę, eius flagrant deſiderio; quantumque in negotio Veneris polleat retroactę voluptatis recordatio, patet ex equo Dariano qui ad eumdem locum ductus, vbi pridie

equam inierat, memor nuperrimi gaudij hinnitum ſtatim edidit. Huc acceſſit aſſuetudo; nam crebro coëundi exercitio, præſertim in illis quę ętatem conſiſtentem nondum attigêre, amplificantur ſeminalia vaſa, eorumque ſimul ac teſtium vis attractrix vſu roboratur: quare, cæteris paribus, fœminas viri conſuetudine quondam potitas, nec in Amoris palæſtrâ amplius velitantes, ſemine magis turgere neceſſe eſt, quàm puellas ἀνοχεύτους quæ ſub Veneris vexillis nondum militauêre: rectéque Tertullianus minus arduam eſſe virginitatis quàm caſtitatis conſeruationem probauit, & B. Hieronymus: *Virginitas*, inquit, *in eo facilior eſt, quia carnis incentiua non nouit, & viduitas in eo ſollicitior, quia præteritas animo recolit voluptates.* Quanquam for-

l. 1. ad vxor.

In ep. ad Gerũtiam.

ſtaſſis contingere queat vt quædam virgo Venereos amplexus impendiò magis iucundos concipiens quàm reuera ſint, illorum mulcedine acerbius angatur; Vnde idem Hieronymus alibi dicebat: *Ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne quod neſciunt.*

Differt furor vterinus à ſimplici verendarum partium prurigine, quod ille iuniores, hæc annoſas potiſſimum infeſtet; in illo contrectacta genitalia ſine dolore demulceantur, in hac ſcalptu magis inflammentur, & cum aliquo delectamento doleant: deinde quod pruritus aut coïtus prolubia non conciat, ſi nempe illam pudendi particulam quæ Venerei appetitus primaria ſedes eſt, non occupet; aut fœminas vernis paſſerculis libi-

dinoſiores reddat ; ſed ſine delirio & furore ; quâ gallicaneâ ac indomitâ ſalacitate famoſæ olim fuerunt , Semiramis Aſſyriorum Regina ; Iulia Auguſti filia ; Meſſalina Claudij vxor quæ Venere laſſabatur , ſed non ſatiabatur ; Agrippina Neronis mater ; & Fauſtina Marci-Aurelij coniux.

Diſtinguitur à ſuffocatione Hyſtericâ , quia in hac mulieres manent attonitæ citrà loquelam , reſpirationem & motum : In furore verò linguam habet infrænem ac prodigam , anhelant , & inſtar Furiarum agitantur.

1. pror-rh. 1. Vt periti eſt Botanici , ait Galenus , herbas internoſcere recenter φυομένας , neque propriam adhuc adeptas figuram ; ſic naſcens affectio , necdum numeris omnibus abſoluta , nonniſi à Medico perſpi-

caciſſimo detegitur, ac idiotæ quorum hebetiorem obtutum fugit morbus neophytus, huius diagnoſin habent pro prognoſi.

In prima igitur huius maniæ, vt ita dicam, ἐκβολῇ, inuictæ perennant vigiliæ, fœminæ ieiunio deditæ ſunt, taciturnæ,

Voluuntque curarum triſtes in pectore fluctus. Lucret. lib. 6.

Iactantur corporis inquie; frequenti, ſed clandeſtinâ locorum muliebrium prurientium, ardentium, atque intumeſcentium confricatione lætantur; Oculos inſtitores exactoreſque libidinis hinc inde laſciuiùs euibrant; Veneris vel audito nomine, eius cupiditate ardeſcentes erubeſcunt; pulſus concitatior eſt quo Eraſiſtratus Antiochi in nouercam Stratonicem amorem deprehendit.

Adoleſcente iam morbo, ac ratione penitus proſtratâ, emotæ mentis ſeditio feruet in oculis; facies ſaturato perfunditur rubore: Nam quemadmodum quæ in Ciuitate peraguntur, ſolent apud Emporium promulgari, ſic interiores hominis tumultus in vultus plateâ perſpicuè relucent: ægræ inceſſu furiali ambulant: iracundiâ παρα-λόγως capiuntur: rerum inhoneſtarum narratione gaudent, ac blando ſermone, gratis geſtibus, mellitis oculis, oréque beneuolo, virorum gratiam indecenter aucupantur; donec ſæuiente furoris impetu frontem commaſculent, & ſequeſtratâ fœmineâ verecundiâ quaſi œſtro percitæ, non modo prætextatâ loquacitate proteruiant; ſed audaciſſimâ quoque licentiâ viros propalam inſectentur. Hiſtoria

refertur nobilis cuiuſdam matronæ cæteroquin honeſtiſſimæ quæ & homines & canes ipſos ad congreſſum rabiosè prouocabat.

Pax ſequeſtra eſt placati huiuſce morbi, qui poſtquam valedixit, quaſi poſtliminiò reuertitur. Verum quia dimiſſionis intercapedine, ac per amica paroxyſmi ſilentia, datur locus præſidiis quæ μαινὰς, θυὰς, φοιβὰς, λυσσὰς ægrotans aliàs reſpuebat, affectio infamis potius cenſenda eſt quam exitioſa, niſi cohibitum ſemen deleteriam corruptelam contrahat. Res enim præſtantiores haud ſolum celeriore, verum deteriore quoque putredine dilabuntur, ac tantò magis infeſtæ ac hoſtiles fiunt, quantò magis vtiles affineſque fuerant, ſicuti capitale eſt ac Vatinianum inter conſanguineos odium. Lapides ac me-

talla non modò propter ſiccitatem atque denſitatem; ſed etiam quia ſimpliciora ſunt, nec tot pugnantibus elementis conflata, diutiſſime imputria ſeruantur, ac dum computreſcunt, minimè fœda eſt eorum corruptio. At mixta ex plurium contrariorum συγκρίσει perfectiùs elaborata, vt lac, ſanguis, ſemen, citiùs putrent non modò ratione humiditatis qua mixtio promptè diſſuitur; ſed potiſſimùm quia plurimis particulis heterogeneis conſtant calore veluti ferrumine colligatis, quæ vi ſimul irretitæ, amore libertatis ſeſe extricare aſſiduè conantur. Nec tantùm facilior; ſed ſordidior præterea ac putidior eſt eorumdem corporum ruina, vbi tam diuerſæ quibus componuntur partes, reſciſſo communi quo tenebantur vinculo ſcilicet ca-

lore, velut ſolutis compedibus diſſoluuntur, & quæ priùs ſeſe inuicem contemperabant, per διάκρισιν ſui iuris factæ, intenſas recuperant qualitates. Cum igitur maior mixtio, maioris putredinis occaſio ſit, ſemen vt eſt perfectiſſimæ naturæ, ita putrefactum ac ἐξιστάμενον, veneni malignitatem induit, mephitimque peſtiferam ad cor, cerebrum, & cæteras partes exhalat, vnde interitus, perinde ac epoto malefico pharmaco, inopinatus diriſque & inſolitis ſymptomatis ſtipatus conſequitur, atque vnde vita, hinc etiam ſumma excitatur pernicies.

Quod ſi ſemen à venenata eiuſmodi putrilagine ſeſe tueatur; furor tamen perſeuerans ex ſympathico idiopathicus, ac ex hoſpite ciuis fit, lentâ tabitudine miſeras de-

paſcens. Imo nî diligens inſanientium habeatur cura, tragœdia ad cataſtrophen breuiùs traducitur; Nonnullæ enim laqueo vitam ſibi eripiunt, vt virgines illæ Mileſiæ, quas ſeſe cateruatim ſuſpendiſſe refert Plutarchus: cuius euentus cauſa quærenda eſt ab Hipp. ὑπὸ τῆς, inquit, περὶ καρδίην πιέξιος ἀγχόνας κραίνουσιν, *ab oppreſſione quæ circa cor eſt ſeſe ſtrangulant*: corde namque multitudine vaporum compreſſo, iſtius compreſſionis idea, imaginationi morbidæ iugiter oblata, hanc ad fauces reſte conſtringendas latenter impellit: quædam verò in fluuios puteoſve deſilire viſæ ſunt, aquæ perfrigerium exoptantes; ſic non ita pridem Lugdunenſes mulieres tam atrox, tamque abſurda inceſſit animi perturbatio, vt in flumina gregatim ſeſe pronas deiecerint,

1. de anima. libell. de mor. virgin.

rint, quomodo olim in decantatissimâ illâ peste Atticâ ægri,

In fluuios partim gelidos ardentia morbo Lucret. lib. 6.
Membra dabant, nudum iacientes corpus in vndas:
Multi præcipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente.

Aliæ tot ærumnarum mole oppressæ, quasque tandem tædet cœli conuexa tueri, diuerso spontaneæ necis genere pereunt. Ac profectò hunc affectum valde horrendum esse necesse est, quandoquidem Melampus, referente Herodoto, ob restinctum Argiuarum mulierum furorem, pactâ prius cum Argiuis mercede, maiorem in Calliope.

regni eorum portionem, ſibi & fratri ſuo Bianti obtinuerit.

FINIS.

PARISIIS,
Ex Typis PETRI VARIQVET,
viâ Iacobæâ, ſub ſigno Craticulæ.
M. DC. LX.



PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres de nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut: Noſtre Amé & feal Conſeiller & Medecin ordinaire Antoine Menjot, nous a fait remontrer qu'il a composé vn Liure intitulé, *Febrium malignarum Hiſtoria & curatio; Acceſſerunt Diſſertationes Pathologicæ, De Rheumatiſmo, De Bombis aurium, &c.* lequel il eſt ſollicité de mettre en lumiere; ce qu'il ne peut faire ſans auoir nos Lettres à ce neceſſaires, leſquelles il nous a tres-humblement ſupplié de luy accorder. A CES CAVSES: Nous auons permis & permettons à l'Expoſant de faire Imprimer & debi-

ter en tous les lieux de noſtre obeïſſance ledit Liure, par tel Imprimeur & Libraire qu'il voudra choiſir, en vn ou pluſieurs Volumes, en telles marges, en tels caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera, pendant ſept années, à compter du iour que chaque piece, ou volume ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois. Et faiſons tres-expreſſes deffenſes à toutes perſonnes de quelque condition qu'elles ſoient de l'imprimer, vendre ny diſtribuer, entier, ny en partie, en aucun lieu de noſtre obeïſſance, pendant ledit temps, ſoubs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltres, fauſſes marques ou autre déguiſement en quelque maniere que ce ſoit, ſans le conſentement de l'Expoſant, ou de ceux qui aurōt ſon droict, à peine de quinze cens liures d'amende, applicable vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers au Libraire dont ledit Expoſant ſe ſera ſeruy, de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous deſpens, dommages & intereſts. A condition

qu'il ſera mis deux Exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque publique; vn dans celle de noſtre Chaſteau du Louure, appellé le Cabinet de nos Liures, & vn en celle de noſtre treſcher & feal le ſieur Seguier, Cheualier Chancelier de France, auant que de l'expoſer en vente, & que les preſentes ſeront regiſtrées dans le Liure de la Communauté des Libraires de Paris, ſuiuant les Arreſts de noſtre Cour de Parlement, à peine de nullité d'icelles. Du contenu deſquelles, nous vous mandons que vous faſſiez ioüir pleinement & paiſiblement ledit Expoſant, & ceux qui auront droict de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun empeſchement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin de ce Liure vn Extraict des preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adiouſtée, & aux Copies collationnées par vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, cõme à l'Original. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour

l'execution d'icelles tous exploicts necessaires, sans demander autre permission: Car tel est nostre plaisir, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & sans preiudice d'icelles, pour lesquelles nous ne voulons qu'il soit differé, Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires, ausquelles nous derogeons pour ce regard. Donné à Paris le septiesme iour de May l'an de grace mil six cens soixante, Et de nostre Regne le dixseptiesme Par le Roy en son Conseil, CONRART.

Registré sur le Liure de la Communauté des Imprimeurs & Libraires, suiuant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. le 20. May 1660. G. IOSSE, Sindic.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

P*Agin*. 4. *verſ. vlt. lege* tranſlatitium. *p.* 5. *v.* 16. *l.* lipothymiæ. *p.* 13. *v.* 1. *l.* 3. Epid. *ibid. v.* 20. *l.* alexeteria. *p.* 15. *v.* 8. *l.* ſerpyllum. *p.* 17. *v.* 10. *l.* coadunari. *p.* 27. *v.* 21. *l.* ἀνέργεια. *p.* 33. *v.* 5. *l.* πιτυώδης. *p.* 35. *v.* 17. *adde in margine.* 25. probl. 10. *p.* 37. *v.* 11 *l.* dyſcraſiâ. *p.* 38. *v.* 3. *l.* ὅλως. *ibid. verſ.* 19. *l.* ὧραι *p.* 40. *v.* 8. *l.* ἰοβόλα. *p.* 42. *v.* 5. *l.* præſtringere. *ibid v.* 9. *in margine. l.* ſect. 8. part. 33. *p.* 46. v. 4. *l.* ἀπαφὶς. *ibid. v.* 6. *l.* ſenſum. *p.* 47. *v.* 6. *l.* petechialem. *p.* 50. *v.* 18. *l.* ὑδατόχολοι. *p.* 53. *v.* 18. *in margine. l.* p. 29. ſ. 1. l. 6. Epid. *p.* 54. *v.* 12. *l.* ἑστίαν. *p.* 60. *v.* 19. *l.* ὅτι. *ibid. v.* 20. *l.* ἀλλὰ. *p.* 63. *v.* 16. *l.* βληχρὰ. *p.* 64. *v.* 10. *l.* πῦρ. *ibid. v.* 18. *l.* ſindones. *p.* 65. *v.* 18. *l.* φυσιογνωμονικὸν. *p.* 66. *v.* 4. *tollendum eſt punctum quod ſequitur vocem, latebras. p.* 69. *v.* 6. *l.* φθορεοποιὸν. *p.* 72. *v.* 15. *l.* βέλτιον. *ibid. v.* 20. *l.* oborta. *ibid. l.* diarrhœa. *ibid. v.* 21. *l.* iudice. *p.* 77. *v.* 17. *l.* atrati. *p.* 81. *v.* 4. *l.* ἐμφρακτικοῖς. *ibid. v.* 6. *l.* ἀλεξητηρίοις. *p.* 81. *v.* 17. *l.* αὐτοπαθείᾳ. *p.* 101. *v.* 10. *l.* alexeteria. *p.* 117. *v.* 14. *l.* ἰχὼρ. *p.* 125. *v.* 2. *l.* γουναλγεῖς. *p.* 136. *v.* 3. *l.* putoris. *ibid. v.* 7. *l.* ſine. *p.* 141. *v.* 18. *l.* petroſi *p.* 142. *v.* 14. *l.* καπνώδει. *p.* 144. *v.* 2 *l.* ἀκρίβειαν. *p.* 161. *v.* 15. *l.* ἀύπνῳ. *p.* 172. *v.* 14. *l.* refrigeſcente. *ibid. v.* 17. *l.* catocho. *p.* 208. *v.* 7. *l.* ἀκρασίαν. *ibid. v.* 18. *l.* accidentariâ. *p.* 209. *v.* 21. *l.* αὐτοπαθείᾳ. *p.* 212. *v.* 9 *l.* κρᾶσις. *p.* 216. *v.* 3. *l.* cæteras. *p.* 222. *v.* 12. *l.* cuti. *ibid. v.* 21. *l.* Hippocrate. *p.* 244. *v.* 10. *l.* plures *p.* 249. *v.* 13. *l.* imagines. *p.* 250. *v.* 1. *l.* deſipiunt. *ibid. v.* 3. *l* ἀπεχθῆναι. *p.* 251. *v.* 10. *l.* filij, noxæ: ac Hippocratis *p.* 260. *v.* 9. *l.* εὐφορίαν. *p.* 263. *v.* 4. *l.* ἱερατικοῦ. *p.* [illegible]4. *v.* 3. *l.* λαμπηδόνες. *ibid. v.* 4. *l.* ſcintillarum. *p.* [illegible]0. *v.* 3. *l.* νοῦς. *p.* 281. *v.* 9. *l.* reparata. *ibid. v.* 14. [illegible] ἀνάμνησις. *p.* 284. *v.* 13. *l.* neruis. *p.* 286. *v.* 19. *in* [illegible]*rgine l.* part. 12. ſ. 6. l. 6. Epid. *ibid. l.* ægrot. 7. ſ. [illegible] l. 1. Edid. *p.* 289. *v.* 6. *l.* [illegible]

